



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.  
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,  
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

**Berti, Giovanni Lorenzo**

**Monachii [u.a.], 1749**

De Theologicis Disciplinis Liber Vicesimus Sextus, In quo præcipua circa  
divini Verbi incarnationem dogmata propugnantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83684](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83684)



# DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER VICESIMUS SEXTUS,

*In quo præcipua circa divini Verbi incarnationem  
dogmata propugnantur.*



**L**UDEORUM pervicaciâ devictâ, discussisque Ethenicorum erroribus, bellum nobis indicunt hæretici, eo inextinguibile magis, atque exitiosum, quo intentatum ab iis, qui exierunt ex nobis, domesticum dici potest, ac intestinum. Illud quippe ab Ecclesiæ incunabulis excitarunt Gnosticonum scientia tumidi, Valentini, Simonis, Basilidis, ac Saturnini discipuli, Christo tribuentes aerium, & umbratile corpus; inter quorum ineptias evanuerunt quoque Marcionis somnia, cæcutitque delirus, & iners scriptor Apelles. Fugatis vero inanibus horum spectris, atque imaginibus, verissimamque Redemptoris carnem in utero Virginis procreatam Spiritus sancti virtute, nec non clavis perforatam, confossam lanceis, & post devictam mortem Apostolorum manibus contrectatam singulis fidelibus profitentibus; rationalem animam, partemque humanæ naturæ nobiliorem ipsi Reparatori ausi sunt denegare prodeuntes quidam ex Arianorum palæstris sub Apollinaris Laodicensis vexillis, homines iniquissimi, ac perditissimi. Fuerunt, & qui rationalem animum adstruentes, propriis eundem facultatibus, & naturali præsertim voluntate expoliarent, appellati ea de causâ Monothelitæ, Cyri, Sergii, Pyrrhi, aliorumque præsulum gratia, & auctoritate superbientes. Hi ergo omni imbutum odio bellum in corporis Christi, animique naturam ciers

conati sunt. At divinam, prohi superi, quanti hæreticorum pestilentissimi ab antiqua Ebionitarum origine ad serpentem adhuc fœdam, & veneficam Socinianorum contagionem tentarunt extremis viribus debellare! Verum ne hos iterum in scenam producam, humanæ divinæque naturæ indissolubilem nexum, quem lacer Theologorum cœtus appellat *unionem hypostaticam*, evertere curarunt, irritum licet conatu, virginei partus, & Deiparæ insensibilissimi hostes Nestoriani: pessime, imperite, sacrilege utramque naturam in unam commiscere tentavit pugnans adversus Nestorium summa audacia, ac factiosa lingua Eutychetis. Atque hos omnes, instructo veluti agmine, hac dissertatione excipere, ac propulsare debemus, eos primum, qui Christo denegant assumptam carnem, deinde qui rationalem animum, vel inditas facultates, eos demum, qui Deum, & hominem unam inficiantur personam, aut in una persona unicam comminiscuntur naturam. Dum autem juxta Philosophorum consuetudinem à partibus singillatim inspectis ad compositum progrediemur, & aliquam profligandarum hæresum rationem servabimus, haud verebimur illorum reprehensionem, qui de Verbo facti homine differentes diversam ab hac methodum tenuerunt. Profecto error Felicis, & Elipandii, & cætera, quæ vel Nestorianam, & Eutychianam hæresim, vel Catholicum de unionem hypostaticam dogma consequuntur, erunt alterius libri argumentum: nam hujus satis ampla materia est, nostrisque lucubrationibus, & lectorum ponderatione, studioque dignissima.



## CAPUT I.

De Christi Incarnatione in utero intemeratæ Virginis peracta.

## SUMMARIUM.

1. Variæ circa Incarnationem Verbi Divini hæreses.
2. Usque ad 5. fit propositio 1ma & probatur ex utroque testamento, & Patribus.

- 5 & seqq. asseruntur, & solvuntur objectiones.
13. Usque ad 16. infirmantur argumenta Helvidii.
16. Corollarium.

I.  
Variæ circa  
Incarnationem  
verbi  
Divini Hæ-  
reses.

**H**OC itaque libro de ipsa dominicæ Incarnationis Oeconomia disputaturus principio differam de Virginis conceptione, & assumpta in ejus utero à Verbo Dei humana carne. Refellenda autem veniunt hoc in dogmate tria hæresum capita, horrenda admodum ac pestifera. Prima hæresis denegat intemeratæ Virginis integritatem: in quam conspirarunt Ebion, Cerinthus, Carpocrates. *Ebion*, inquit de ejus hæresi Epiphanius, *docuit Christum ex semine viri esse genitum*: Carpocrates pariter & Cerinthus natum tradiderunt *ex semine Joseph*, ait in libro de Præscript. Tertullianus. Consentiant his Judæi negantes nasciturum Messiam ex nesciente virum puella. Quidam quarto vertente sæculo Mariam saltem post Christum natum alios ex Josepho peperisse filios autumant, horumque agmen duxit Helvidius à magno Hieronymo refutatus. Hæc est ergo prior hæresis adeo in perpetuam Deiparæ virginitatem injuriosa.

Sequitur altera illorum, qui non ex Virgine carnem assumpsisse Verbum putarunt, sed illam traxisse de cælo, ex æthere, aut elementis compactam. Formatum Christi corpus in cælis, & per Mariam, sicut per canalem aqua, transiisse ajebant Valentiniani apud Irenæum lib. 1. cap. 1. necnon Basilidis, & Marcionis gregarii apud Athanasium in 1. adversus Hæreses. His acceperunt Bardesani, de quibus Origenes Dialog. 14. Appellejani dicti ab Apelle Marcionis discipulo affirmarunt Christi carnem *de sideribus*, & *de substantiis superioribus mutuam*, ait in libro de carne Christi Tertullianus. Atque hæc est secunda hæresis adversus divini Verbi peractam in utero Virginis conceptionem.

Tertia verum ac solidum corpus Christo denegat, tribuitque duntaxat phantasticum, & umbratile: quæ hæresis, in quantum corpus phantasticum opponitur crasso, ac terreno, parum differt à Præcedenti. Sed videntur aliqui discipuli Simonis Magi, præsertim Menander, &

Saturninus eo processisse, ut assererent carnem Christi nequaquam fuisse solidum corpus, sed apparens, inane, & corporis speciem referens, quasi magica ludificatione. Conabantur enim Incarnationis sacramentum ludibrio hominum exponere, atque, ut inquit Eusebius lib. 111. H. Ecc. cap. 26. *illud aspergere magica artis infamia*. Tria ergo de Christi conceptione sunt inquirenda: primum an Deipara ipsum ex virili semine conceperit: alterum an ex Virgine Christi caro formata sit, an cœlitus delapsa, aut aliunde compacta: tertium an caro vera, ac solida fuerit, an vero umbratilis, & apparens.

PROPOSITIO I. Christus de Virgine absque virili semine conceptus est.

Demonstratur ex prophetico Isaie oraculo cap. VII. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Negant Adversarii de Virgine incorrupta hunc locum esse exponendum, propterea quod Hebraicum vocabulum עלמה, *Halma* significet adolescentulam absconditam, à radice עלם, *Abscondit*. Sed refutatur commentum istud; I. quoniam hæc ipsa etymologia commonstrat vocabulum *Halma* significare illibatam, castissimamque puellam: ideo enim Virgo appellatur *Halma*, abscondita, quoniam sub custodia servatur à virorum aspectibus segregata: quod constat ex lib. 11. Machab. 111. 19. atque ex 2. Regum x. 11. 2. ubi de Amnone legitur: *Ita ut propter amorem ejus (Thamaris) agrotaret, quia cum esset virgo, difficile ei videbatur, ut quidpiam inhoneste agevet cum ea*. Cum ergo virgo apud Hebræos adeo detineatur occlusa, ut difficulter ad ipsam viris pateret accessus; merito dicebatur עלמה, *Abscondita*. II. Cum in aliis divinæ Scripturæ locis *Halma* designet virginem incorruptam, ut liquet ex Gen. cap. xxiv. 16. & Exodi 11. 8. ubi *Halma* appellantur Rebecca, & Maria soror Moylis,

Christum de Virgine absque viro natum probatur 1. ex propheta Isaie.



Moyſis, adhuc *incognita* viris, nec jun-  
ctæ maritis; virgo quoque viro incogni-  
ta designari debet citato textu Iſaiæ. III.  
Demonſtrat Buxtorſius in Lexico, &  
conſtat ex primo Regum xvii. 56. &  
xx. 22. **עלם** ſignificare puerum coeli-  
bem, & domi in parentum cura latitan-  
tem. Idem ergo de ſœminino *Halma*  
dicendum eſt. IV. Tria tantum voca-  
bula reperiuntur in lingua Hebræorum,  
quibus demonſtrari poſſit mulier adole-  
ſcentula, videlicet **עלמה** *Halma*,  
**בתולה** *Betula*, & **נערה** *Nabara*: at  
poſtrema duo non ſunt propria nomina,  
quæ virginitatem ſignificent; nam *Na-  
bara* eſt nomen ætatis, & tribuitur etiam  
juveni conjugatæ; *Betula* autem eſt no-  
men mulieris innuptæ, ſive adoleſcen-  
tula virgo ſit, ſive aut ætate provecta,  
aut juvenis vidua, ut conſtat ex Joelis  
i. 8. Igitur vocabulum ſolum *Halma*  
eſt illud proprium, quo denotatur ado-  
leſcentula, & viro incognita. V. Con-  
ſtat hoc Eſaiæ loco ad vocabulum *Hal-  
ma* addi literam emphaticam **ה** demon-  
ſtrantem ſingularem, ac ſpectabilem ali-  
quam virginem. Ineptæ autem ſingula-  
ris, & inclyta diceretur aut fornicaria,  
aut adultera, aut à marito compreſſa.  
VI. Ut recte ait in hunc locum Hierony-  
mus, non ſolum Judæi nequeunt oſten-  
dere hanc vocem *Halma* in Scripturis  
alicubi poſitam, ubi adoleſcentulam tan-  
tum designet, & non virginem; ſed  
præterea virginem incorruptam ſignifi-  
cat ea vox lingua Punica, quæ de He-  
bræorum fontibus dicitur emanare. Vir-  
ginem quoque reddit Verſio lxx. Chal-  
daica, Syriaca, & Arabica, nec repugnat  
in libro Radicum R. David Kimchi. VII.  
Denique Eſaias loquitur de ſigno, ac pro-  
digio, quod daturus erat Dominus do-  
mui Iſrael mirabilius, quam petere po-  
uiſſet incredulus Achaz in profundum  
*Inferni*, ſive in excelsum ſupra. At quod  
concipiat mulier virili ex ſemine, nul-  
lum ſignum, nullum prodigium eſt. Non  
ergo de adoleſcentula ex ſemine viri  
concipiente locutus eſt Eſaias. Atque  
hæc prima argumentatio urget præſertim  
Hebræos,

*ſancto eſt.* Affert Evangeliſta verſu 23.  
allatum ſupra Eſaiæ vaticinium.

Plura ſunt congruentiarum argumen-  
ta producta à Patribus, de quorum tra-  
ditione nulla exoritur dubitatio, ideoque  
neceſſe non eſt, ut illorum colligere ſtu-  
deamus teſtimonia. Irenæus itaque probat  
lib. iii. adv. H. cap. 29. Chriſtum  
non eſſe genitum ex ſemine Joſeph, quo-  
niam non fuiſſet præſtantior Davide, aut  
Salomone, ex eadem ſeminatione gene-  
ratus. Item non fuiſſet hæres regni Da-  
vidis, quia Joſeph filius oſtenditur Joa-  
kim, & Jechoniæ, quorum ſemini re-  
gnum Juda non eſſe repromiſſum probat  
ex Jeremia. Addit Irenæus cap. 31. de-  
ſumptam ex creatione Adami compara-  
tionem, demonſtrans, quod ſicut Adam  
de rudi, & adhuc virgine terra plama-  
tus eſt, ita oportebat Dei verbum *reca-  
pitulationem* Adæ in ſemetipſum faciens  
ejuſdem generationis habere ſimilitudi-  
nem, ut eadem eſſet plasmatio creata,  
& plasmatio redempta. Profert etiam  
ſimilitudinem inter originem peccati, ac  
redemptionis, affirmans, quemadmo-  
dum angelus Satanæ virginem Evam ſe-  
duxit, atque inde initia habuit humana  
perditio, ita à Virgine aſſentiente Ange-  
lo Dei nuncio inceſſam hominum re-  
parationem. Haſ, aliasque antitheſes  
adducunt etiam Tertullianus libro de  
Carne Chriſti cap. 17. & poſteriores PP.  
complures,

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Opp. 1. Vaticinium Iſaiæ nullo pacto  
de adoleſcentula virgine accipiendum  
eſt. Non ergo invictè probat Deiparæ  
integritatem. Prob. ant. nam vox *Hal-  
ma* ſignificat tantummodo mulierem ab-  
ſconditam, ut verterunt Aquila, & Sym-  
machus. Eodem vocabulo Prov. xxx.  
19. designatur ſcortum: ubi enim Vul-  
gata habet, *Viam viri in adoleſcentia*,  
extat in hebraico **בעלמה**, *ad Hal-  
mam*: & verſu proximo additur, *Talis  
eſt, & via mulieris adulteræ*. *Halma*  
itaque adulteræ comparata ſcortum eſt,  
non puella. Etiam Cantic. vi. 7. una  
cum uxoris, & concubinis connume-  
rantur **עלמות**, *Halma*, id eſt, ado-  
leſcentulæ ad Regis voluptatem ſerva-  
tæ. Fruſtra itaque aſſeritur designari eo  
vocabulo non ſubactam viro mulierem.

Reſp. nego ant. Ad probat. respondent  
aliqui Symmachum fuiſſe Ebionitam, Reſponde.  
Aquilam proſelytum Judæorum; unde tur.  
nil mirum, ſi reddiderunt pro *Halma*,  
*ἀποκρυφῶς*, *abditam*, vel *abſconditam*. Ve-  
rum

3. Altera depromitur ex novo Teſtamen-  
to; nam Matth. Cap. i. 18. ait: *Cum  
eſſet deſponsata mater ejus Maria Joſeph,  
antequam convenirent, inventa eſt in ute-  
ro habens de Spiritu ſancto*: proximoque  
verſu 20. ita Angelus ſponſum Virginis  
alloquitur: *Joſeph fili David, noli ti-  
mere accipere Mariam conjugem tuam,  
quod enim in ea natum eſt, de Spiritu*

3.  
Probatur ſe-  
cundò ex  
Evangel.  
Matth.

4.  
Probatur 9.  
ex SS. Patri-  
bus præſer-  
tim ex S. Ire-  
næo.

5.  
Obijciunt 1.

6.



rum Symmachi, Aquilæ, necnon Theodotionis admiffa Verfione, nego virginem non dici propriiffime *abfconditam*, cum & virorum fubtrahatur afpectibus, & *revelata non fit illius turpitude*, qua phrafi explicat divina Scriptura viri cum muliere concubitum. In Proverb. xxx.

**בעלמה**, fignificat *in adolescentia virginum*, & fensus eft, perdifficile effe nofcere quales futuri fint impuberes, qui fub parentum custodia delitefcunt. Quid enim difficultatis præfert viri ad fcortum ingreffus? Præterea haud recte appellatur *conclufa*, & *abfcondita* mulier faciens, etiam caute, fui copiam. Deinde gratis concedatur de corrupta adolescentula fermonem fieri in Proverbiis. Prænotatum fupra, non potuiffe apud Hebræos ob arctam custodiam viros accedere ad virgines, ideoque Amnonem ufum confilio Jonadabi, ut opprimeret Thamarem. Notantur ergo in Proverbiis machinationes, & infidiæ fcortatoris, ut ingrediatur etiam ad virginem intra paternas ædes abfconditam. Quare quocunque fenfu hunc locum accipias, femper *Halma* fignificat *adolefcentulam virginem*: atque id multo expreffius in vi. Canticorum. Ibi enim **עלמות** diferte feperantur à reginis, & concubinis, ideoque fignificatur hoc nomine chorus puellarum, quæ nec maritis junctæ fint, nec turpiter viris fubactæ. Ob hæc, & quæ fupra attulimus, repetendum cum Hieronymo Comment. in cit. locum Ifaiæ. *Oſtendant Judæi in Scripturis alicubi poſitum Halma, ubi adolescentulam tantum, non virginem ſonet: & concedimus eis, illud quod in Ifaia apud nos dicitur, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, non abſconditam virginem, ſed adolescentulam ſignificare jam nuptam.*

7.  
Objic. 2do.

Opp. 2. Promittit Ifaias ſignum Achaz, ut credat ſe liberandum fore à duobus Regibus, qui Jeruſalem invaſerant, Raſin rege Syriæ, & Phacee rege Iſrael. Atqui ſignum debet præcedere rem, quam promittit. Ergo ſignum, de quo Ifaias loquitur, præceſſit liberationem Jeruſalem à duobus Regibus, neque ullatenus ad Chriſti conceptionem eſt referendum.

8.  
Reſpond.

Reſp. nego ma. Cum enim Achaz Deo diffuſus, & incredulus, dum illum hortaretur Propheta, ut peteret à Deo ſignum, reſponſiſſet, *Non petam, & non tentabo Dominum*; Ifaias convertens ad omnes poſteros Davidis ſermonem ait: *Audite ergo domus David: Numquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia mole-*

*ſti eſtis, & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet, &c.* His verbis arguit Propheta incredulitatem regis, quaſi nollet etiam portentoso ſigno ſpem proximæ liberationis confirmare, & Ifaias, quaſi ariolus, vel nugator falſo hujusmodi ſignum promitteret. Propterea inquit immerito hanc ſibi injuriam moleſta infidelitate irrogari, cum Dominus ſignum alterum, ac longe nobilioris reparationis ſit domui Davidis præſtiturus, ortum ſcilicet Emmanuelis ex Virgine. Atque idcirco hac reprehentione non *adjeçit* Ifaias *loqui ad Achaz*, ſed ad domum Davidis, cujus ſemine procreata eſt Virgo genitrix Chriſti, ſermonem dirigit. Falſa eſt etiam minor: nam dantur ſigna, quæ ſunt completæ jam promiſſionis commemorationes, quale eſt illud Exodi 111. 12. *Et hoc habebis ſignum quod miſerim te: cum eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum.*

9.  
Objic. 3.  
Opp. 3. Signum, de quo loquitur Ifaias, eſt filius ab ipſo genitus ex uxore, quam ſterilem opinabatur: cap. enim ſequenti v. 3. ait: *Et acceſſi ad Prophetiſſam, & concepit, & peperit filium.* Addit Barnabel prædictum ab Ifaia filium ipſius regis Achaz, id eſt Ezechiam, aut forte alium ab ipſo generatum ex inceſtu cum filia Achor, quam prægnantem eſſe ignorabat. De filio autem Mariæ non videtur locutus Propheta, quia nec appellatus eſt *Emmanuel*, nec de eo completum *to Butyrum, & mel comedet.*

10.  
Reſpond.  
Reſp. nullius filii ex virili concubitu procreati partum Ifaiæ vaticinio portendi, cum prædicetur partus Virginis, partus Emmanuelis, partus divinæ promiſſionis ſignum ſingulare. Verſus 3. cap. viii. nequit de filio Ifaiæ accipi, quoniam advocat teſtes ſui ad Prophetiſſam acceſſus Uriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiz: & Urias quidem vixit regnante Achaz ex lib. iv. Reg. xiv. 11. Sed Zacharias filius Jojadæ, quem Barachiam eſſe tradit Hieronymus, trucidatus eſt, cum regnaret Joas, 11. Paralipp. xxi v. 21. Zacharias autem Propheta, qui & Barachiam patrem habuit, prophetabat circa an. M. 348 f. annis poſt obitum Ifaiæ fere tercentis. Nequeunt ergo hæc literaliter intelligi de ipſo filio Ifaiæ, niſi velis hic memorari Zachariam illum, de quo 11. Paralipp. xxvi. 5. Vix etiam percipi poteſt, quomodo auferenda eſſent ſpolia Samariæ, antequam puer, de quo Ifaias, vocaret patrem, & matrem, ſi puer ille eſſet filius ipſius Ifaiæ; cum



cum Samaria eversa ſit annò VI. Ezechiaë, xv. Regum xviii. 10. & Propheta naret quæ contigerunt ſub Achaz. Quare cogimur, ut in Prophetiis reliquis, nonnulla de Chriſto, nonnulla vero de rebus olim geſtis exponere, maxime quod hæ fuerunt ſymbola futurarum. Neque ullo pacto poteſt ad Ezechiam filium Achaz prophetia detorqueri; nam Ezechias jam decimum annum agebat, cum pater regnum obtinuit; quippe is ſedecim annis regnavit, iv. Regum xvi. 2. & Ezechias viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpiſſet, iv. Regum xviii. 2. Filius ergo, qui regnante Achaz prædicatur naſciturus, nequit eſſe Ezechias. Cæteras Barnabelis fabulas mittimus.

11. Explicatur  
vox Emanuel  
&  
explicatur  
Butyrum &  
mel comedit.  
Maria Virginis filius recte dicitur Emanuel, id eſt, Nobiſcum Deus, cum, ex quo Verbum factum eſt caro, in nobis peculiari titulo Deus habitaverit. Nomen autem hoc loco, juxta conſuetudinem divinarum Scripturarum, ſignificat Chriſti attributa, ut dum legitur Lucæ 1. 32. Filius Altiffimi vocabitur; & apud eundem Iſaiam ix. 6. Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. Poſtrema verba, Butyrum, & mel comedit, myſtice ſignificant manſuetudinem, lenitatem, doctrinam, atque ſpiritualium donorum copiam, & ubertatem: literaliter autem demonſtrant, puerum Jeſum, etiamſi ſuperveniente Spiritu ſancto conceptum, & natum de Virgine, conſueti tamen Hebræorum more fuiſſe educandum favis mellis, & lacte. Sic divini Verbi humilitatem admiratur Eccleſia:

Et lacte modico paſtus eſt,  
Per quem nec ales eſurit.

12. Obijcitur  
4. latas iv. 4. inquit: Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere. Significat autem mulier feminam à viro compreſſam: unde Cicero apud Quintilianum reprehendus quod ſenex duxiſſet virginem Publiolam ait: Cras mulier erit.

13. Reſpond.  
Reſp. cum Tertulliano libro de Ve-land. Virginibus cap. 5. & 6. Hujus vocabuli proprietatem ad ſexum, non ad gradum ſexus pertinere. Et quidem Apoſtolus i. ad Corinthios xi. 5. & 6. indifferenter ait, Omnis autem mulier vellet caput ſuum: & i. ad Timoth. ii. 9. Similiter & mulieres in habitu ornato, &c. Etiam Cicero pro Mur. promiſcue ait: Mulieres omnes propter infirmitatem conſilii majores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt. Quare mulier; etiamſi aliquando virgini opponatur, feminam R. P. Berti Theol. Tom. V.

tantum, non eam, quæ viro ſubacta fuerit, designat.

PROPOSITIO II. Nullius ſunt ponderis argumenta, quæ adverſus perpetuam Deiparæ virginitatem audacter, & ſacrilège proferebat Helvidius.

Saltem poſt Chriſtum natum Joſephum virginitatem Mariæ deliſſe, adſtruere nectario auſu conabatur Helvidius ſequentibus argumentationibus. Primo Matthæus, inquit, cap. i. 18. ſcribit: Antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto. Quomodo ergo nemo de non prænato dicit, Antequam prænaret; ita nemo dicit de iis, qui convenire non debeant, Antequam convenirent. Sed reſpondet Hieronymus apparere in hoc priori argumento Helvidii imperitiam ſimul ac temeritatem: non enim ſi quis dixerit, Antequam in portu prænarem ad Africam navigavi, non poteſt ſtare ſententia, ſi non in portu prændendum quandoque ſit: aut ſi dicamus, Paulus Apoſtolus antequam ad Hiſpanias pergeret, Romæ in vincula conjeſtus eſt: aut certe illud,

Helvidius antequam poenitentiam ageret, morte præventus eſt; ſtatim aut Paulo poſt vincula ad Hiſpanias ſit eundem; aut Helvidio poenitentia agenda poſt mortem. Eraſmus hoc addit exemplum, ſi dicat aliquis, Judices de cauſa pronunſiaſſe priuſquam cauſam cognoviſſent, non hoc ſentit, judices cognoviſſe cauſam poſtquam tulerint ſententiam: quod exemplum una cum aliis depromptis ex Virgilio, Cicerone, & Thucydide produxerat Laurentius Valla. At nos allatis à Hieronymo contenti erimus reponentes cum eodem in Comment. Mat. Quod autem dicitur, Antequam convenirent, non ſequitur ut poſtea convenirent: ſed Scriptura quod factum non ſit, oſtendit.

16. Alterum argumentum petitur ab Helvidio ex proximo v. 25. ejuſdem cap. i. Argumentum 2. Mat. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum. Ubi particula donec videtur demonſtrare Mariam poſt partum primogeniti alios ex maritali complexu filios genuiſſe: quod comprobat ipſa Primogeniti ratio dicens ordinem ad alios poſt primum genitos. At reſpondet primum Hieronymus poſſe verbum cognoscere ad ſcientiam, non ad actum conjugii referri, uti Lucæ 11. 43. Et non cognoverunt parentes ejus. De alia utique cognitione à maritali congreſſu exponunt hunc locum Epiphanius H. 78. quæ eſt Antidicomarianitarum, & alii. At de cognitione carnali, ſive maritali complexu loqui Evangeliftam fate-

H

mur,



mur, propterea quod Hebræorum locutione ad linguas cæteras derivata *cognoscere* notat experimentalem tori consuetudinem, ut Gen. iv. i. xix. 5. Num. xxxi. 17. Regum tertio i. 4. &c. Ita Horatius appellat puellam *Ignaram mariti*, & Plutarchus in Alex. *Aliam*, inquit, *mulierem non cognoscebat*. Verum particula *donec* negat tantum cognitionem ante partum, nihil definiens de tempore posteriori. Affert Hieronymus apertissimum illud exemplum Isaïæ 46. 4. *Usque ad senectutem ego ipse*. Et Matth. xxviii. 20. *Vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*. Confinile est exemplum ii. Regum vi. 23. *Micbol filia Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ*: Psalmo cix. 1. & Matt. v. 19. de quibus alibi. Cur dicatur Christus Primogenitus explicatum est Tom. II. pag. 46. Addam ingeniosam Hieronymi observationem. Præcipitur Num. xviii. 15. ut pro hominis primogenito offeratur post unum mensem sicus argenteus. Si primogenitus ille tantum diceretur, post quem alii filii nascuntur, non omne masculinum quod aperit vulvam; potuisset quilibet Genitor petentibus sicum respondere: *Quid me unius mensis constringis articulo? Expecta donec nascatur secundus. Nihil debet Sacerdoti, nisi & ille fuerit procreatus, per quem is, qui ante natus est, incipiat esse primogenitus*. Hæc Hieronymus. Epiphanius H. 78. observat consulto Evangelistam dixisse *filium suum primogenitum*, non vero *filium primogenitum suum*; ut scilicet intelligamus dici Christum *primogenitum* dignitate respectu omnis creaturæ, ut inquit Apostolus ad Colos. i. 15. non generatione, nec respectu fratrum, quos Virgo pepererit.

35.  
Argum. 3.

Tertium argumentum Helvidii petitur ex locis ubi fratres Christi commemorantur, ut Matth. xiii. 55. *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas?* Similia occurrunt apud Marcum vi. 3. Vide & Matt. xii. 46. Marc. iii. 31. & Joannis ii. 12. At respondet Hieronymus *fratres Domini* appellari consobrinos ratione propinquitatis: cum Scriptura soleat fratres dicere *natura* quales fuerunt Esau, & Jacob: *gente*, quales ad Rom. ix. 3. appellantur omnes Israelitæ: *cognatione*, ut vocantur Genes. xiii. 8. Abraham, & Lot, & xxix. Laban, & Jacob: & denique *affectu*; quo sensu

ab Apostolo i. ad Corinth. v. 11. omnes fideles dicuntur fratres. Eadem est sententia Augustini libro xxi. contra Faustum cap. 35. Atque potest ex ipsa Scriptura demonstrari. Etenim inter fratres Domini commemoratur etiam Jacobus, de quo D. Paulus ad Galat. i. 19. *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*. At liquet ex cap. x. Matth. 3. inter Christi Apostolos duos Jacobi nomine fuisse appellatos, quorum unus dicitur ibidem filius Zebedæi, & frater Joannis, alter filius Alphæi. Habemus itaque fratrem Domini, qui non fuit de Josephi progenie. Verum tamen est, quod Patres aliqui scripserunt fratres Domini esse filios Joseph ex alia uxore generatos, ut scribit citato loco Epiphanius, necnon alii apud Vossium Dissert. de Gen. Jesu Christi cap. 6. & Serry Exercit. de Christo xl. His tamen non assentior. Connumerant enim inter filios Joseph quatuor, quos Matthæus, ac Marcus describunt citatis locis, & quorum primus est Jacobus. Atqui Jacobus, ut dictum est modo, filius fuit Alphæi, quem esse Josephum nulla ratione poterit demonstrari. Matrem hujus Jacobi haud obscure colligimus esse Mariam Cleophae filiam, & uxorem Alphæi: nam inter Mulieres, quæ patienti Christo adfuerunt, Marcus xv. 40. tres distincte commemorat his verbis: *Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris, & Joseph mater, & Salome*. Matthæus autem ait Cap. xxviii. 56. *Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Joseph mater, & Mater filiorum Zebedæi*. Joannes vero cap. xix. 25. *Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophae, & Maria Magdalene*. Ex quorum collatione deducitur Mariam filiam Cleophae esse matrem Jacobi minoris, & uxorem Alphæi; & Mariam Salome esse matrem alterius Jacobi, & Joannis, atque uxorem Zebedæi: ideoque Deiparam fuisse Jacobi minoris, non novercam, ut quidam dixerunt, sed materteram. Potest commodè in hac sententia propugnari etiam perpetua virginitas Josephi, quam tenet pia Fidelium devotio, quamquam firmari plenissima Traditione non possit. Nemo autem miretur me dixisse matrem Jacobi Mariam filiam Cleophae, non uxorem. Quamquam enim nonnulli sic dictam putant à marito, atque ita etiam sentiat Theodoretus in cap. i. ad Galatas; Hieronymus contra Helvidium sic nominatam censet, *sive*



*sive à Patre, sive à Gentilitate familiae;* in eamque ſententiam præter auctoritatem Hieronymi tria me trahunt: primum, quod liquet ex cap. x. Matth. fuiſſe hanc Mariam uxorem Alphæi: alterum, quod verſio Arabica Joan. xix. 25. diſerte habet, *Filia Cleophae*: tertium quia tollitur hac ſententia omne perſonarum diſcrimen. Sed hætenus contra Helvidium: cujus ſententiam, ut Photius appellat, irreligioſam, & impiam quidam derivatam arbitrantur ab Apollinari Laodiceno, & traditam etiam ab Eunomio, ex Eccleſiaſtica Philoſtorgii Historia à Photio in compendium reſecta.

## COROLLARIUM.

16. Inferitur ex dictis Joſephum non eſſe Chriſti patrem, niſi hominum exiſtimatione, ut inquit Lucas 111. 23. *ut putabatur, Filius Joſeph.*

Et Hieronymus laudato adverſus Helvidium libro: *Evangelistæ Patrem Joſeph dicunt; non quod vere pater Joſeph fuerit Salvatoris; ſed quod ad ſamam Mariam conſervandam pater ſit ab omnibus exiſtimatus.* Speciali etiam titulo appellatus eſt *Pater Chriſti*, ut docet Auguſtinus lib. 11. de Conſenſu Evang. cap. 1. *ipſa copulatione conjugii, nimirum, quia ejus conjuge natus eſt.* Sed quod aliqui dicunt eſſe filium verum ac proprium, quoniam natus; & procreatus eſt *in fundo* Joſeph, id eſt, in virginali corpore, in quod ille habebat jure conjugii poteſtatem, mihi quidem non probatur; quoniam jus aliquam inferi proprietatem Domini, & Hæredis; at non Genitoris, ac Patris. Fuit ergo hoc titulo Chriſtus ſpecialiter filius Joſephi, atque multo conjunctior, quam ſi ab eo eſſet aliunde adoptatus: at non verus, ac proprius.

## CAPUT II.

Fuiſſe in Chriſto veram carnem, eamque non de cœlo deſlapſam, ſed in virginali Mariæ utero procreatam.

## SUMMARIUM.

I. Uſque ad 4. fit propoſitio 1. & probatur tam ex Scripturis, quam Patribus.

4. 2da propoſitio probatur. 5 & ſeqq. enervantur objectiones.

I. D. Verbum veram & corpoream aſſumpſiſſe Carnem prob. ex Scripturis.

Nunc proſtiganda venit altera adverſus Chriſti conceptionem Valentinii, Baſilidis, & Marcionis portentoſa hæreſis, nullum Chriſto attribuens corpus, niſi phantaſticum: in quem errorem prolapſi ſunt etiam Manichæi, reſutati ab Auguſtino in libro de Fide contra Manich. cap. 32. & lib. xxvi. contra Fauſtum, atque aliis in locis.

PROPOSITIO I. Divinum Verbum veram, & corpoream aſſumpſit carnem.

Demonſtratur 1. ex Scripturis. Nam Joan. 1. 14. legitur: *Et Verbum caro factum eſt*: atque in Ep. ejusdem Joannis 1. cap. iv. 2. *Omnis ſpiritus, qui conſtitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt, &c.* Huc ſpectant loca, quæ aſſerunt Chriſtum natum, paſſum, mortuum, ac redivivum. Item ea, quibus conſtat diſcipulos aliquando opinantes Chriſtum eſſe phantaſma, ab ipſo, qui falli non poteſt, nec fallere, fuiſſe reprehenſos, atque etiam manducatione, corporisque contactu factos fuiſſe de veritate carnis certiores, ut Mat. xiv. 26. Lucæ xxiv. 39. & Joan. R. P. Berti Theol. Tom. V.

nis xx. 27. Idem probant ea omnia, quibus narrantur patrata à Chriſto humana, & corporalia opera: in quibus non potuit affectus noſtros ſimulare, cum mentiri non poſſit.

Complura argumenta urget adverſus Marcionem, & cæteros Phantaſiaſtas Tertullianus: eaque collegit, notisque illustravit noſter Moreau Tom. 2. titulo *Chriſti caro*, Scholiis xlii. Præcipua hæc ſunt I. Deducitur à Tertulliano lib. De Carne Chriſti, ex ejus paſſione, quam prænuntiarunt Iſaias lili. 4. completam vero Evangelica narrat historia. Nam, *Tacentibus*, inquit Tertullianus cap. 9. *apud nos quoque Propbetis de ignobili aspectu ejus, ipſe paſſiones, ipſeque contumelia loquuntur: paſſiones quidem humanam carnem, contumelia inhoneſtam.* An auſus eſſet aliquis ungue ſummo perſtringere corpus novum? Sputaminibus contaminare faciem niſi marentem? Quid dicis celeſtem carnem, quam unde celeſtem intelligas, non habes? Quid terrenam negas, quam unde terrenam agnoſcas, habes? Eſuriit ſub diabolo, ſitivit ſub Samaritide, lacrymatus eſt ſuper Lazarum.

2. Probatur 2. ex Tertulliano.



zarum, trepidavit ad mortem; Caro enim, inquit, infirma: sanguinem fudit postremo. II. Promittit lib. IV. contra Marcionem cap. VII. ex corporis actu, quod Christus Lucae IV. 40. omnes infirmos curaret singulis manus imponens, utique, ait Tertullianus, sentiendas. Et cap. ejusdem Operis 20. affert curationem mulieris à fluxu sanguinis, ex contactu fimbriae vestimenti Salvatoris; de qua idem Lucas XII. 44. demonstratque vestimentum corpori, non phantasmati adjacere, ideoque si verum fuit vestimentum, verum quoque fuit inditum corpus. Addit citato cap. 8. ex eodem Luca IV. 29. non solum Christi corpus admisisse contactum, sed contactum violentum, ac plenum, dum Christus dententus, & captus ad præcipitium usque protractus est; asserens quoque Lucretii sententiam,

*Tangere enim, & tangi, nisi corpus, nulla potest res:*

atque acute observat, nunquam Christum Judæorum manus evasisse, eos per caliginem eludens, sed sedato tumultu, & transiens per medium illorum, ut eo loci scribit Evangelista. III. Eodem adversus Marcionem libro, cap. 43. veritatem corporis Christi demonstrat, ex quo hæsitantibus discipulis, & phantasma illum credentibus Luc. XXIV. 39. Dominus dixerit: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Redarguitque Marcionem hunc locum interpretantem, quasi dictum sit, *sicut me videtis non habentem ossa, sicut spiritus*, dicens: *Cur autem inspectui eorum manus & pedes suos offeri, quæ membra ex ossibus constant, si ossa non habebat? Cur adjecit, & scitote quia ego sum, quem scilicet corporeum retro noverant? Aut si phantasma erat usquequaque, cur illos phantasma credentes increpabat? At quin adhuc eis non credentibus propterea cibum desideravit, ut se ostenderet etiam dentes habere.* Utitur consimili argumento Augustinus serm. LXXV. alias XXII. de diversis cap. 7. IV. Ingeniosa est argumentatio, quem Tertullianus necit ex verbo *Exspiravit*, quo Lucas XXI. 46. mortem indicat Salvatoris. Velenim exspiravit caro spiritum, & caro utique fuit: vel si caro non fuit, sed phantasma carnis, cum phantasma nihil sit aliud, quam corpus umbratile confictum à spiritu; dum ipse spiritus exspirando discessit, necesse est, ut discederet etiam phan-

tasma. Nihil ergo, inquit lib. IV. citato, cap. 42. remansit in ligno: nihil pendit post expirationem: nihil de Filato postulat: nihil de patibulo detractum: nihil sindone involutum: nihil sepulchro novo conditum. Atqui non nihil. Quid igitur illud erat? Si phantasma, adhuc ergo inerat & Christus. Si discesserat Christus, ergo abstulerat phantasma. Superest impudentia hæreticæ dicere phantasma illic phantasmatis remansisse. V. Postremo ratiocinatur Tertullianus in libro de Carne Christi cap. 16. ex verbis Apostoli ad Rom. VIII. 3. *De peccato damnavit peccatum carne*, quoniam nisi caro illa fuisset in Christo, cujus natura est in homine peccatrix, non recte diceretur peccatum in ipsa carne evacuatum. Quid enim, inquit Tertullianus, magnum, si in carne meliore, & alterius, idest non peccatricis nature novum peccati redemit? Itaque caro Christi confossa vulneribus, condita tumulo, tentata contactu, atque eo fine assumpta, ut de peccato damnaretur peccatum, fuit caro vera & extensa, non autem phantastica ac spiritalis.

Hæc sane argumenta excuti nequeant cavillis Phantasiatarum reponendum sacras literas, quas egregie tractat Tertullianus, exhibere duntaxat corpus apparens, in quo Christus humanos affectus simulando omnia specietenus patravir. Enimvero ne dicta repetamus, si fictum fuit corpus Christi apparentia mortuus est, nec vere resurrexit, nec genus humanum redemit: corruique fides ac spes Christiana. Fuisset etiam Christus fallax mortis, & resurrectionis suæ prænuntiator, injustus discipulorum reprehensor, atque mendax, hominumque seductor. Si quis vero hæc ausus fuerit cogitare, ei respondebimus, quæ scribit Augustinus adversus Faustum parriciter delirantem, lib. XXVI. cap. 8. *Homo pessime ac fallacissime, quomodo tibi ego credam, quasi vera dicenti, cum Christum dicas mortem potuisse mentiri? Ergo ille mentiebatur, quando dicebat, Oportet filium hominis occidi, & tertia die resurgere: & tu non mentiris, & dicis, ut tibi vera dicenti credamus? Veracior ergo Petrus, quando ei dixit, Absit Domine, non fiet istud; & unde meruit audire, Redi retro satanas? Et ille quidem non hoc infructuose audivit, qui eam postea veritate mortis Christi usque ad suam mortem correctus, perfectusque prædicavit. Verum si ille, quia tantum putavit Christum non moriturum, audire meruit, Sa-*

3.  
Probatum  
ex S. Augu-  
stino.

tanat,



*tanus: tu quid mereris audire, qui non ſolum negas mortuum, ſed etiam dicis mortem fuiſſe mentitum? Sed ideo, inquis, mortem quoque ſimulaſſe credendus eſt, quia omnes humanae conditionis ſimulavit affectus. Quis enim tibi hoc contra Evangelium conſeſſurus eſt, quod omnes humanae conditionis ſimulavit affectus? Proſus dixit Evangeliſta, Dormivit Jeſus: dixit, Eſurivit, contriſtatus eſt, exbilaratus eſt, & ſi qua talia omnia vera ſunt, qua ita narrata ſunt, ut non eum ſimulaſſe, ſed plane feciſſe, vel exhibuiſſe conſcripta ſint, &c.*

4.  
Dei filium  
corpus ſuum  
ex materna  
carne aſſum-  
pſiſſe pro-  
batur.

PROPOSITIO II. Dei Filius humanum corpus non aliunde, ſed materna traxit ex carne.

Confirmat hæc propositio præcedentem: ſi enim Chriſtus ex Virgine natus eſt, traxitque ex ſemine David originem, conſequitur verum illi fuiſſe corpus, cujus Genitrix materiam ſubminiſtraverit. Itaque propositio hæc probatur ex cap. 1. Matthæi, in quo contextitur Salvatoris genealogia uſque ad Joſeph virum Mariæ: *De qua*, inquit Evangeliſta v. 16. *natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus.* Reſpondebant Hæretici hanc Genealogiam ſcriptam non fuiſſe à Matthæo: ſed illorum temeritatem ita revincit Auguſtinus lib. xxviii. contra Fauſtum cap. 2. *Cum cæpero Matthæi Evangelium recitare, ubi narratio nativitatſ ejus tota contextitur, continuo dicet illam narrationem non eſſe Matthæi, quam Matthæi eſſe dicit univerſa Eccleſia ab Apoſtolicis ſedibus uſque ad præſentes Episcopos certa ſucceſſione perducta. Tu mihi quid contra læturus es? Aliquem forte librum Manichæi, ubi Jeſus negatur eſſe natus ex Virgine. Sicut ergo ego credo illum librum eſſe Manichæi, quoniam ex ipſo tempore, quo Manichæus vivebat in carne, per diſcipulos ejus certa ſucceſſione præpoſitorum veſtrorum ad veſtra uſque tempora cuſtoditus atque perductus eſt: ſic & iſtum librum crede eſſe Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipſe in carne vixit, non interrupta ſerie temporum, Eccleſia certa connexionis ſucceſſione uſque ad tempora iſta perduxit. Et dic mihi, cui libro potius credere debeamus, ejusne Apoſtoli, qui Chriſto, cum adhuc in terra eſſet, ad hæſerant, an nescio cui Perſæ, qui tanto poſt natus eſt? Adde non Matthæum ſolum ſcribere Chriſtum ex Virgine natum, ſed & Lucam 1. 35. referentem verba Gabrielis Angeli, *Quod naſcetur ex te ſanctum: nec non Apo-**

ſtolum ſcribentem ad Rom. 1. 2. *Factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem:* & ad Galatas iv. 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege.* Idem confirmat ea Chriſti appellatio *Filius hominis*, tam in Evangeliiſ frequens: non enim vere Chriſtus filius hominis diceretur, niſi originem haberet ex homine, inquit lib. iv. in Lucam cap. 49. Venerabilis Beda. Vide etiam quæ de vaticinio Iſaiæ vii. 14. dicta ſunt capite præcedenti.

OBJECTA DILUUNTUR.

Phantaſiæ opponunt 1. Verbum nonniſi ſpecietenus humanum corpus geſtaſſe Scriptura ac ratio demonſtrat, ſ. Obſicitur. 2. Scriptura quidem ſcribente ad Philipp. Apoſtolo ii. 7. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.* Atque ad Rom. viii. 3. *Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati.* Accedit quod 1. ad Corinth. xv. 50. *Caro damnatur his verbis: Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt:* & denique idem Apoſtolus 2. ad Corinth. v. 16. ait, *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus.* Ratio autem multiplex afferri poteſt: ac primo, quod videatur Deo indignum humanam carnem induere, ac ſeſe filiorum Adæ ſubjicere conditioni: tum quod abſurdum ſit putare Unigenitum Dei factum Angelicis ſpiritibus deteriorem: inſuper quod aſſumptio carnis nequeat percipi abſque aſſumentis mutatione, cum tamen nulla mutatio poſſit in Deo excogitari. Accedunt his experimenta, cum enim corpus, Philoſophorum ſententia, ſit natura ſua extenſum, ideoque impenetrabile ac ſolidum: corpus Chriſti, quod creditur in lucem editum non fracto virginali ſecreto, necnon ad vitam clauſo monumento rediſſe, ingreſſum januis clauſis ad Apoſtolos, evanuiſſe ab eorum aſpectu, gradiens ſuper undas, in aëra ſublatus, neque ab hoſtibus, nunquam niſi quando ei placuit, deprehenſum, hoc, inquam, corpus fuit diverſe à noſtro naturæ.

Reſp. Pauli ad Philippenſes ſenſum Reſponde-  
eſſe, quod etiamſi Chriſtus in forma tur.  
Dei eſſet, ac poſſet glorioſam ducere vitam; cum tamen in mundum advenerit ad homines ſanguine ſuo redimendos, dignatus eſt tanquam ſervum ſe gerere, & ſingulari obedientiæ exemplo humiliare ſemetipſum uſque ad mortem crucis, ita, ut exteriori vitæ converſatione habere.

H 3



beretur, sicut ceteri hominum, quamquam esset longe præstantior, nec mortis necessitati subiectus. Hortatur enim eo loci Apostolus, ut exemplo Christi nihil per contentionem & inanem gloriam operemur. Itaque quod Paulus ait, *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, non ad carnis substantiam, sed ad vitæ consuetudinem, & vulgarem de Christo existimationem est referendum. Habes hujus phraeos exempla Judicum xvi. 7. in Psalm. lxxx. 7. Etsi autem hæc responsio videtur mihi plana, ac certa; eas, quas alii tradunt, non prætermittam. Ac Tertullianus adversus Marcionem scribit Filium Dei factum in similitudinem hominum ratione conceptionis; quoniam probatur quidem filius Joseph, sed per Spiritum sanctum absque virili semine generatus est. Ambrosius autem, cui permulti subscribunt, *habitu ac similitudinem*, pro ipsa naturæ humanæ substantia interpretatur, scribens Epist. 46. ad Sabinum *Nec sibi blandiatur virus Apollinaris, quia ita legitur, Et specie inventus ut homo. Non enim negatus est homo Jesus; cum alibi ipse Paulus de eo dicat, Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus; sed confirmatus est. Id enim est usus & moris Scripturæ sic significare. Sicut & in Evangelio legimus; Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre. Sicut ergo quasi unigenitus Dei filius, ita quasi homo dicitur, & perfectio fuisse in eo hominis non negatur.* In Epistola autem ad Romanos dicitur Christus factus in similitudinem carnis peccati, quia ejus caro non erat caro peccati, non enim de trauce mortalitatis in Mariam per masculum venerat; quare cum mortuus sit, & de peccato sit mors, *habuit carnem non peccatricem, sed tamen similitudinem peccati*, inquit lib. contra Adim. cap. xxi. Augustinus. Recte ab eodem Augustino exponitur alter Apostoli textus ex priori ad Corinth. de vera Relig. cap. 12. ubi ait: *Per peccatum vita hominis carnalis & terrena efficitur, & ob hoc etiam terra, & caro nominatur: & quamdiu ita est, regnum Dei non possidebit.* Ita caro accipitur Genes. vi. 3. 12. Ps. lv. 5. & alibi. Præterea cum ibidem Apostolus loquatur de corpore resurgentium, per *carnem & sanguinem* intelligit corpus fragile ac fluidum, ut demonstrat idem Augustinus contra Adimantum cap. xxi. In altera demum ad Corinthios docet Apostolus neminem existimandum esse *secundum carnem*, id est, secundum præ-

sentem mortalium conditionem, quemadmodum Christus, qui exinanitionis tempore videbatur *despectus & novissimus virorum*, nunc gloria & honore coronatus est: ac simul admonet non habendam esse rationem consanguinitatis, cum simus in Christo *nova creatura*, neque illius sint hæredes, qui eis fuerunt carnali propinquitate conjuncti, sed qui novitate spiritus regenerantur. Accipitur ergo *cognoscere*, ut sola lectione liquet, pro *existimare*: quemadmodum Exodi i. 8. Prov. xxix. 7. Joan. x. 27. & in priori ad Corinth. viii. 3.

Rationes à Phantasiastis productæ nil prorsus probant. Ad primam namque dicimus non esse indignum Deo induere, quod manibus suis plasmavit, absque contagione peccati. *Si enim visibilia munda à visibilibus immundis contingi possunt, & non inquinari, quanto magis invisibilis & incommutabilis Veritas per spiritum animam, & per animam corpus suscipiens toto homine assumpto ab omnibus eum infirmitatibus nulla sui contaminatione liberavit?* inquit Augustinus de Agone Christiano cap. 18. Addit indigna & abjecta sentire potius de Christo Manichæos ipsos, ac Marcionitas; quoniam veritas mendacio inquinari potest, non carne: quod etiam animadvertit Tertullianus lib. contra Marcionem iiii. Cap. 7. Altera ratio exploditur, quoniam revera Filius Dei secundum assumptam humanitatem paulo minus ab Angelis minoratus est, ut inquit Psalm. viii. 6. sed nulla hinc Dei filio contumelia, quia hæc assumptio non est in ipso necessitas conditionis, sed præconium humilitatis, qua consuluit humano generi, & nos propriæ gloriæ fecit consortes, non depresso divina natura per copulationem humanæ, sed exaltata natura humana per consortium divinæ. Ad tertiam rationem, quoniam eam solvimus præcedenti libro cap. xi. nunc cum Tertulliano de Carne Christi cap. 3. repominus ea tantum mutari & in aliam naturam converti, quæ dum uniuntur aut non permanendo pereunt, aut perfectionem, qua carebant, recipiunt. Ac Christus, ut etiam docet Augustinus lib. ii. de Actis cum Fel. Manich. cap. 19. *assumpsit humanitatem, non amisit divinitatem: neque in carne ipse deterior factus, sed caro in illo melior facta est.*

Experimenta philosophicis argumentationibus confirmata principio in Phantasiastas retorquentur; quippe si corpus est, quod extensionem habet, loco continetur, palpatur, ac tangitur; quomodo

6.  
Uterius Re-  
spondetur.

7.  
Retorquentur  
in Advers.



do non est verum Christi corpus, panis indutum, reclinatum in praesepio, funibus colligatum, flagellis caesum, clavis confixum, lancea vulneratum, sindone involutum, sepulchro reconditum, & discipulorum manibus contectatum? Prodigia vero enarrata habent in omni Philosophorum sententia facilem solutionem. Respondebit Peripateticus, cum gravitatem, tum penetrabilitatem corporum, imo extensionem ipsam localem, esse proprietatis, quae tolli divinitus possint, aut impediri. Qui in dimensione statuunt naturam corporis, dicunt non esse arduum divinae omnipotentiae illam extendere, aut constringere. Contendent aliqui nutu Dei transferri, etiam non tacto medio, quodlibet corpus de una in aliam viciniam: verum haec ad Philosophos.

8. *Obiectur* 2. Opp. 2. Nullum est argumentum ad probandum carnis Christi veritatem, quod ut homo apparuerit, atque se tractandum exhibuerit Apostolis. Primo enim indubitatum est, aut ipsum Dei Filium, aut Angelos in veteri Testamento hominibus apparuisse, cum tamen nullum verum corpus haberent, aut saltem non proprium. Deinde sentiunt complures, quod possint spiritus praestare effecta similia corporibus per solam circumstantis aeris motionem, ut explicavimus libro x. cap. 14. Insuper, si placeat Christo aliquando carnem adhaesisse, possumus negare fuisse ei propriam, ac natam, ut de specie columbae, in qua Spiritus sanctus apparuit, scribit cap. 22. de Agone Christiano Augustinus. Postremo cur non dicamus cum Basilide apud Epiph. H. 24. & Mahumete Az. 6. non Christi corpus in ligno suspensum, sed Simonem Cyrenaeum, aut Judam apostatam, sive cum Manichaeis fuisse crucifixum, non Christum, sed diabolum, ideoque perire argumenta fere omnia, quae ex Tertulliano & Augustino collegimus?

9. *Respondetur*. Resp. ad 1. cum Augustino libro xxix. contra Faustum cap. 4. potuisse quidem Dei filium loqui & apparere hominibus, quamvis in carne non natum, sed noluisse. Hoc autem eum voluisse ideo certum est, quia hoc fecit: hoc vero eum fecisse ideo non dubitamus, quia non cuiquam haeretico, sed ejus Evangelio credimus. Retorquemus etiam argumentum; quoniam corpora in quibus, sive Dei filius, sive Angeli olim apparuerunt, etsi assumpta, non nata, vera ac solida fuisse tradunt quamplurimi. Etiam reponimus demonstrasse ip-

fos Angelos se aëria, & subtilia gestare corpora affirmantes uti se tantum cibo invisibili, ut Raphael ait Tobiae xii. 19. cum Christus se verum hominem exhibuerit. Atque ad secundam dicimus admissa ea Philosophorum sententia, fecerit imaginariam spiritus apparitionem à vera, quod in illa corpus phantasticum non videtur indifferenter ab omnibus, sed ab iis tantum, in quibus radiorum flexione imaginaria visio excitatur: ideoque in veris corporibus apparuisse tam Angelos, qui à tota Abrahami, Lot, ac Tobiae familia eodem sensu videbantur, quam Christum, quem omnes confexerunt, tetigerunt, palparunt, affectum eadem oris forma, eadem extensione membrorum, eademque corporis soliditate: atque hunc maxime, qui, cum veritas sit, contestatus est se hominem esse, non spiritum: quod de nullo angelorum divina tradunt eloquia. Ad tertium responderi posset Spiritum sanctum non assumpsisse verum corpus columbae, sed speciem, atque figuram, ut scribunt Chrysostomus Hom. xii. in in Matth. Ambrosius lib. 1. de Sacram. cap. 5. ac dubitare videtur Augustinus in 1v. de Trinit. cap. 21. Neque eadem est ratio de Christo, quoniam de Spiritu sancto inquit Joan. cap. 1. 32. *Vidi Spiritum descendantem quasi columbam*, de Christo autem versu 14. *Verbum caro factum est*. Est autem versu 32. in Graeco particula *ὡς*, *quasi*, ambiguae significationis, ac versu 14. particula *ὡς*, *quasi*, ut appellant, *ὡς* *definiens*. Verum dato, quod Spiritus sanctus in vera columba apparuerit; cum Augustino eodem cap. 22. de Agone Chr. argumentum retorqueo, quia *sicut non oportebat, ut homines falleret filius Dei, sic etiam non oportebat ut falleret Spiritus sanctus*. Quare utrumque assumpsisse verum corpus docet S. Thomas 111. p. art. 7. q. 39. & Doctores Scholastici communiter in dist. xiiii. Libri primi. Quærenti autem, cur Christi corpus proprium, ac natum sit, & corpus columbae assumptum tantummodo à Spiritu, respondet ibidem Augustinus citato capite xxii. de Ag. Chr. *Quia non columbas liberare venerat Spiritus sanctus, sed hominibus significare innocentiam, & amorem spiritalem, quod in columbae specie visibiliter figuratum est*.

Crucifixum aut Simonem Cyrenaeum, aut Judam, aut Diabolum, affirmare non possumus, quoniam istorum nemo est hominum Redemptor, ac Mediator, neque talem perpeffos mortem Scriptura testa-



testatur. Antequam Simon tolleretur crucem ejus, jam per urbem illam detulerat Christus, & jam inceserat flagellis cæsus, portansque spineam coronam. Frustra itaque fingitur crucifixus Cyrenæus, ne Filius Dei afficeretur ludibrio. Judas laqueo suspendit se, ut legimus Matth. xxvii. 4. & Act. Apost. i. 18. Manichæis denique dicentibus crucifixum principem tenebrarum respondet Augustinus de Fide cap. 33. *Miseri! non timetis ut dicatur vobis in iudicio: Ego eos liberavi, pro quibus passus sum. Ite: ille vos liberet, cui meas adscribitis passionem?* At refutatur insignis error ipso signo Crucis, quo dæmon perterritus fugatur, atque confessione Martyrum, quorum vulnera dicuntur stigmata Christi, non diaboli.

10. **Obijciunt** 3. Opp. 3. Ut demus Christo fuisse corpus aliquod, quod tanquam aqua per tubum, transierit per uterum Virginis, atque dici possit in ea natum, quemadmodum ait Angelus Josephum alloquens Matth. i. 20. nulla ratione possumus affirmare fuisse hoc corpus ex Virgine procreatum. Enimvero negat ipse Christus Mariam esse matrem suam: nam ipsa interpellante, ut aquam in vinum verteret, tanquam faminx nullo sibi carnis vinculo conjunctæ respondit, *Quid mihi, & tibi est mulier?* Joannis ii. 4. Cuiusdam ei dicenti, quod à Matre, ac fratribus suis inquireretur, inquit, *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Matth. xii. 48. Exclamante insuper pia muliere, *Beatus venter, qui te portavit,* inquit, *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, &c.* Ac demum in cruce moriturus stantem Virginem ita est allocutus, *Mulier, ecce filius tuus;* Joannis xix. 26. Negat igitur Dominus se à Maria virgine generatum.

11. **Respondetur.**

Resp. perperam hæc à Manichæis obijci ad probandum Christum ex Virgine incarnatum non esse, & ex ea factum, & natum, uti expressum est in Scripturis paulo supra productis. Ad hæc vero, quæ opponunt, sit prior, ac generalis responsio tradita ab Augustino de Fide contra Manichæos cap. 23. aliquando Christum non appellasse Virginem nomine matris, *Quia exemplo suo docebat negandos esse terrenos parentes propter Deum. Opera enim divina facienti terrenos affectus obstrepere non debebant.* Deinde ad singula respondemus. Atque ad i. dicimus Joannem eodem cap. 2. v. r. 3. & 5. scribere Mariam fuisse Christi matrem.

Erat, inquit, mater Jesu ibi: Dicit mater Jesu ad eum: Dicit mater ejus ministris. Itaque Manichæus caveat ne cogatur credere Evangelistam fuisse mentitum, quia ait, *Erat ibi mater Jesu: aut ipsum Christum falsa morte passum propter delicta nostra, & falsas cicatrices ostendisse propter justificationem nostram.* Si enim falsa mater; falsa caro, falsa mors, falsa vulnera passionis, falsæ cicatrices resurrectionis: ait Augustinus Tract. viii. in Joan. num. 7. Respondet præterea idem S. Pater seq. num. 9. Dominus Jesus Christus, & Deus erat, & homo: secundum quod Deus erat, matrem non habebat; secundum quod homo erat, habebat. Mater ergo erat carnis, mater humanitatis, mater infirmitatis, quam suscepit propter nos. Miraculum autem quod facturus erat, secundum divinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem. Quod proferatur ex cap. xii. Matth. ita egregie refellitur à Tertulliano de Carne Ch. cap. 7. *Oro te, Apelles, vel tu Marcion, si forte tabula ludens, vel de histrionibus, aut aurigis contendens, tali nuntio advocaveris, nonne dixisses, quam mihi mater, aut qui fratres? Deum prædicans, & probans Christum, legem & prophetas adimplens, tanti retro avi caliginem dissipans indigne usus est hoc dicto ad percutiendam incredulitatem foris stantium, vel ad excutiendam importunitatem ab opere revocantium?* Solvit idem Tertullianus quod obijciunt ex cap. xi. Lucæ dicens in 4. contra Marcionem, Christum felicitatem ab utero, & uberibus matris suæ transulisse in discipulos: idque explicans magis Augustinus Tract. x. in Joan. num. 3. ita Christi verba interpretatur: *Mater mea, quam appellatis felicem, inde felix, quia verbum Dei custodit: non quia in illa Verbum caro factum est; sed quia custodit ipsum Verbum Dei, per quod facta est, & quod in illa caro factum est.* Homines non gaudeant prole temporali, exultent si spiritu junguntur Deo. Ultimum petitum ex cap. xix. Joannis in adversarios retorquatur, tum quia ibidem v. 25, & 26. Evangelista demonstrat Mariam fuisse Christi matrem, dicens: *Stabat juxta crucem Jesu mater ejus: Cum vidisset ergo Jesus matrem; tum etiam, quia Christi Virginem Joanni commendans agnovit matrem moriturus, de qua fuerat mortaliter natus, ut recte S. Pater Tract. cxix in Joannem; quia humana patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano.*

Opp.



12. **Obijciunt** 4. Opp. 4. Habuisse Christum caeleste, atque aethereum corpus, affirmat Apostolus in prima ad Corinth. cap. xv. 47. his verbis: *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de caelo caelestis*. Ut ergo corpus Adæ fuit terrenum, atque, ut appellat Tertullianus lib. v. contra Marcionem, *limaceum*: ita corpus Christi fuit spiritale, ac sidereum. Neque enim referri debent Apostoli verba ad corpus resurgentium, cum loqui ipsum de solo corpore Christi demonstrent Græci codices, qui habent, *ὁ δευτερος ἀνθρωπος ὁ νέος ἐξ οὐρανό*, *Secundus homo Dominus de caelo*.

13. **Respondetur** Resp. revera Apostolum accipiendum de resurrectione, *in qua caelestis homo erit*, non quia corpus, quod de terra factum est, *non ipsum erit, sed quia domino caelesti jam tale erit, ut etiam caelo incolendo, non amissa natura, sed mutata qualitate conveniat*. Ita S. Pater lib. xiii. de Civit. Dei cap. 23. Hanc esse verissimam responsionem idem Augustinus demonstrat lib. xi. contra Faustum cap. 3. ex quo Apostolus præmittat v. 44. *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*. Verborum ergo, quæ obijciuntur, sensus est, primum homines habere corpus animale, ac morti obnoxium ob generationem ex Adam; at post resurrectionem corpus spiritale, & incorruptione donatum propter regenerationem in Christo. Quod attinet ad Græcam versionem respondet Bellarminus lib. ii. cap. 27. fuisse à Marcione corruptam, quod probat etiam ex quinto adversus hunc hereticum Tertulliani libro. Aegre hæc excipiunt heretici, qui Græcum novi Testamenti Codicem Latino præferunt. Et tamen Erasmus ille, cujus judicium tanti faciunt, putat verbum *νέος* adscriptum à studio, probatque ex verborum antithesi lectionem Vulgatæ magis videri germanam. Idem censet cum aliis multis Vatablus. Ego

minimum puto inter utramque lectionem, græcam, & latinam interesse discrimen: nec fortasse Marcion textum corrupit, cum similiter habeat Syriaca, & Arabica: quare idem est *secundus Adam*, ac *Dominus*, cujus imaginem portabit justus in corpore incorruptibili. Neque hinc consequitur corpus Christi fuisse caeleste; quoniam Apostolus locutus est de Christo post resurrectionem, quam antea diserte proponit dicens: *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi: quoniam Christus mortuus est secundum Scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit secundum Scripturas*. Vide Augustinum citato libro xi. contra Faustum cap. 3. Tandem affirmo Christum dici hominem caelestem, *quia Filius Dei de caelo venit ad carnem, qua suscepta, & homo exterius fieret, & Deus interius permaneret*: atque ita idem Augustinus libro adversus Faustum 11. cap. 4. Hanc postremam responsionem confirmo ex ipsa, quæ opponitur, lectione Græca; nam hæc ubi legit Vulgata *caelestis*, habet tantummodo *ἐξ οὐρανό*, *de caelo*, non refragante Syro, & Arabæ interpretibus.

Oppones ultimo: Si voluisset Filius Dei veram carnem suscipere, illam prorsus ex nihilo creasset. Resp. cum Augustino libro xxvi. contra Faustum cap. 7. Potuisse filium Dei humanam veramque carnem formare unde formavit primo homini: potuisse corpus caeleste, & aereum commutare in humanæ carnis verissimam qualitatem: potuisse ex nihilo verum corpus producere: sed tamen ex Maria Virgine natum Christum, & verè natum, verè mortuum, ut scriptum est in Evangelio. Summa hujus consilii penes illum est. *Sive quia utrumque sexum, quem creaverat, etiam hoc modo commendandum bonorandumque judicavit, assumendo formam viri, & nascendo de femina, sive aliqua alia causa: quanam illa sit, non temere dixerim*.

14.

**Objectioni**  
**12æ respon-**  
**detur.**

### CAPUT III.

De Christi Genealogia à Matthæo, & Luca Evangelistis conscripta.

### SUMMARIUM.

1. Genealogiam Christi explicat Augustinus.
2. & Julius Africanus.
- 3 & 4. Aliorum explicationes.

- 5 & 6. adducitur, & refellitur illatio Basnagii.
7. Enervantur argumenta criticorum.

**N**ON solum Manichæi, de quibus supra, verum etiam Porphyrius, Celsus, Julianus Apostata, alique Christiani R. P. Berti Theol. Tom. V.

stianæ Religionis hostes Christi genealogiam evertere conati sunt, propterea quod diversa ratione illam contexuerint

I

Mat



Matthæus in primo Evangelii capite, & Lucas in tertio. Sed duorum Evangelistarum discrepantiam immerito adversus nos urgeri facile demonstratur ex diversorum Auctorum, quam nunc subijcimus, expositione.

I.  
Explicat Genealogiam Christi  
S. Augustinus.

Prima est, quam olim tradidit Augustinus libro 11. de Consensu Evangelistarum cap. 3. & libro 111. contra Faustum cap. 3. & seqq. Josepho duos fuisse patres, unum natura, id est Jacob, alterum adoptione, id est Heli. Quamquam vero S. Pater perlectis postea libris Julii Africani præposuit in 11. Retract. cap. 7. & 16. sententiam alteram, de qua proxime dicturus sum; expedita est tamen ad omnem contradictionem tollendam, atque etiam probabilis prior hæc Augustini expositio, quam nec penitus retractavit. Enim vero quod filii etiam adoptione dicantur, demonstrat idem Augustinus ex cap. XLVII. 5. Genes. ex verbis Jacobi ad Joseph: *Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Aegypti antequam huc venirem ad te, me erunt: Ephraim, & Manasse, sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi.* Accedunt haud leves conjecturæ: prima quidem, quia in tota majorum serie utitur Matthæus verbo *γεννησας*, genuit, quod Lucas prætermisit, ideoque Matthæus significat Jacobum esse Patrem Josephi generatione, ac natura, filium vero Heli adoptione, etiamsi aliquo sensu filii quoque adoptivi geniti appellantur, id est, geniti charitate, non carne. Deinde Matthæus scribens Evangelium Hebræis debebat demonstrare quomodo Christus ex Abrahamo, & Davide, quibus fuit promissus, prognatus revera sit; ideoque ab Abrahamo consultò texit generationem: Lucas contra scribens Evangelium gentibus in Christi hæreditatem adoptandis, etiam patres adoptionis commemorat, & genealogiam perducit usque ad Adam, qui fuit Dei, ut ostenderet Redemptorem pro omnibus hominibus advenisse. Ob eandem forte causam narravit Matthæus Christi generationem initio Evangelii, ac de partu Virginis sermonem instituturus, & Lucas narrationem hanc distulit ad Christi manifestationem, atque baptismum, quamdam veluti parasceven Ecclesiæ ex Gentibus congregandæ. Si quis igitur planam hanc viam tenere velit, objicientibus Matthæi à Luca dissonantiam respondere potest cum eodem Augustino, *duos patres habere potuisse Joseph, unum à quo genitus, alterum à quo fuerit adoptatus.*

Altera Julii Africani sententia est, Joseph fuisse naturæ filium Jacob, lege autem filium Heli. Docet enim Africanus in Epist. ad Aristidem apud Eusebium H. E. lib. 1. cap. 7. Mathan à Salomone prognatum genuisse Jacob, quo mortuo Melchi à stirpe Nathan profectus ab ea, quæ uxor erat Mathan, procreavit Heli. Uterini ergo fratres erant Heli, & Jacob. Heli absque prole moriente Jacob illi semen suscitavit, & genuit Joseph, natura sibi ipsi, lege autem Heli. Dicitur autem Joseph lege filius Heli, ex præscripto Deut. xxv. 5. *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui.* Reddit vero hanc sententiam valde probabilem. I. antiquitas Auctoris, qui vixit ducentesimo ac vicefimo post Christum anno. II. Quia attestatur Africanus se de his sermonem habuisse cum viris, qui etiamnum supererant ex Domini cognatione. III. Quoniam Augustinus ait in 11. Retract. cap. 7. hoc in eorum literis contineri, qui recenti memoria post ascensionem Domini de hac re scripserunt. IV. Quia hæc opinio à Patribus communiter recepta est: ideoque videtur ob antiquitatem, ac sui, ut ita dicam, possessionem cæteris præferenda. Patitur tamen Africani sententia gravissimas difficultates, ac duas præsertim. Prima est, quod Africanus Melchin statuit tertium à Joseph, cum intermedii sint Mathat, & Levi: altera, quia si Jacobus sine liberis functus erat, prolem ei gignere debebat consanguineus, & proximus ejusdem stirpis, non uterinus. Sed ad primam respondemus Africanum prætermisisse intermedias illas generationes, quas certum est in omnibus Codicibus non extare, cum Irenæus lib. 111. cap. 33. ab Adam ad Christum connumeret secundum Lucæ genealogiam generationes LXXII. non LXXV. tribus prætermisiss, his scilicet duabus, & Cainan inter Arphaxad, & Salam. Quare nil mirum, si Africanus posuerit pro nepote proavum: aut respondemus Mathat fuisse binomium, & etiam Melchi nomine appellatum. Ad alteram vero objectionem, quam pluri faciunt Grotius in Caput 111. Lucæ, & Basnagius Tom. 1. Annal. pag. 89. respondeo stirpem Davidis, quæ per Salomonem, & Nathan divisa fuerat, iterum in Zorobabelem fuisse conjunctam, ut constat ex cap. 1. Matth. v. 12. & ex 111. Lucæ v. 27. ac iterum sejunctam per Resam, & Abjud filios Zorobabelis, & unitam postea in Mathat Josephi



avo; ideoque Heli prognatus ex Nathan, & Abiud, non ſolum fuiſſe fratrem Jacobi uterinum, ſed etiam ex ſtirpe Davidica proximior.

3.  
Iterum alia  
explicatio.

Tertia ſententia huic oppoſita eſt, Heli fuiſſe patrem Joſephi naturalem, & Joſephum dici à Matthæo filium Jacobi ratione hæreditatis: cujus fulcra ſunt, quæ ſequuntur. I. Certum eſt Jechoniam nullos genuiſſe liberos ex comminatione divina, Jeremiæ *xxi*. 30. cum igitur Matthæus ſcribat Jechoniam genuiſſe Salathielem, & Lucas hunc dicat filium Neri, videtur à priori Evangeliſta reſpici juſ ſucceſſionis, ab altero autem juſ ſanguinis. II. Lucas longe plures generationes enumerat; nam inter Salathielem, & Joſephum Matthæus decem, Lucas novem decem recenſet: & Matthæus præterea tres hæredum claſſes diſtinguit, in quarum prima inter Joram & Oziam omittit Ochoziam, Joam, & Amasiam, conſulens ordini memoriæ cauſa inſtituto, & ſilentio transmittens generationes aliquot, ut faciunt, qui de ſola ſucceſſione juris loquuntur. III. Matthæus generationes incipit ab Abraham, cui promiſſiones factæ ſunt; Lucas ab Adam naturali omnium protoparente; ideoque hic generationes naturales contexat. Verum ad hæc argumenta, quæ urget Grotius in Comment. ad 3. caput Lucæ, reſpondeo Jechoniam non genuiſſe filios regni hæredes, idque à Jeremia prænuntiatum; genuiſſe tamen Aſir, & Salathielem, ut liquet ex 1. Paralip. *lxi*. 17. nihilque referre, quod Matthæus generationes aliquas prætermittat, cum Ozias, ſive Azarias, ſit non ſolum ſucceſſione juris, ſed etiam ſanguinis filius Joram, etiamſi ex Amasia immediate ſit genitus; ab Abrahamo demum Matthæum ſubducere Chriſti generationem, Lucam ab Adam, quod ille Hebræis, iſte Gentibus principaliter ſcripſerit. Hæc itaque opinio minori nititur, quam ſuperior, auctoritate.

4.  
Alia aliorum  
opinio.

Quarta opinio eſt, quam ſequuntur Eraſmus, Voſſius, Baſnagius, & recentiores quamplurimi, Matthæum deſcribere genealogiam Chriſti ex Joſephi proavis, Lucam vero genus Mariæ, ita ut Heli fuerit pater Virginis, fater Joſephi, & avus Chriſti. Nec repugnat, inquiunt, de Joſeph dici *Qui fuit Heli*, tum quia gener appellatur nlius, ut probat Voſſius de Chriſti Genealog. *iv*. 3. ex cap. 1. Ruth ſæpius vocatæ Noemi filia, cum eſſet nurus; tum etiam, quia verba Lucæ, *Ut putabatur filius Joſepb, qui fuit Heli*, videntur referenda ad Jeſum, ut ſenſus ſit, putabatur filius Joſepb, cum

R. P. Berti Theol. Tom. V.

eſſet filius Heli, id eſt Virginis filia Heli. Sed hæc opinio cateris mihi videtur infirmior; nam etiamſi generi filii revera dicantur, incredibile eſt Lucam ea ſimplici phraſi *τὸν Ηλὶ, qui fuit Heli*, qua in tota illa generationum ſerie utitur ad filios deſignandos, voluiſſe nullo appoſito ſigno diſcriminis generum demonſtrare. Minus etiam credibile eſt ea verba *τὸν Ηλὶ* referri ad Chriſtum, cum immediate præcedat *Joſepb*, neque præcedat *H'v δὲ, fuit autem*, aut ſimilis phraſis oppoſita verbo *ἐνομιζέτο, putabatur*. Addo Heli deſunctum fuiſſe absque liberis ex allato teſtimonio Africani, & ex Joanne Damasceno lib. *iv*. de fide Orthodoxa cap. 15. quod licet non poſſit invictè demonſtrari, nequit tamen aut auctoritate, aut ratione reſelli. Cum itaque prior ſententia, quæ olim fuerat Auguſtini, ſit ab eodem ſere retractata, tertia autem, & quarta repugnet Patribus, nec ſatis valido nitatur præſidio; reſtat ut teneamus opinionem ſecundo loco propoſitam, & dicamus Joſephum natura filium Jacob, lege autem filium Eli, atque hoc pacto Manichæorum, atque aliorum Infidelium objectionem repellamus.

#### APPENDIX.

Samuel Baſnagius ex hac poſtrema ſententia infert falſam eſſe traditionem quod Mariæ parentes fuerint Joachim, & Anna. *Hinc cantata*, inquit, *traditio reſellitur, quæ non Eli, ſed Joakimum patrem Virginis dicit, repugnante Scriptura*. Utitur eodem argumento Hyacinthus Serry Exercit. de Chriſto *xviii*. num. 4. his verbis: *Certe quotquot Chriſti genealogiam à Luca deſcriptam Cap. 3. per Mariæ progenitores ductam exiſtimant, (exiſtimant autem bene multi) Deiparæ patrem Heli dictum opinantur*. At Joakimum fuiſſe patrem Virginis nos affirmamus, hanc iplam de Genealogia progenitorum Mariæ ſententiam rejiciendo. Porro Joakimum parentem Virginis facit non ſolum Damascenus lib. *iv*. Fidei Orthodoxæ cap. 15. verum etiam Epiphanius H. *lxxvi*. 11. & *lxxix*. & Romana Eccleſia in Martyrol. *xiii*. Kal. Aprilis, necnon Græci in Menologio die 19. Septembris. Erat autem juxta Damascenum Joakim filius Barpantheris, filii Pantheris fratris Melchi, ita ut Janes, de quo Lucas *iii*. 24. genuerit Melchi, & Pantherem, Panther Barpantherem, Barpanther Joakim, Joakim Mariam: Melchi autem genuerit Levi, Levi Mathat, Mathat Heli patrem lege Joſephi; atque ita Joſepb, ac Maria fuerunt

5.  
Illatio Baſna-  
gii.



ex eadem agnatione, ac stirpe Davidica. Lubentius in hanc sententiam descendo, quod Celsus Epicureus, apud Origenem libro 1. adv. eundem Celsum, Christum appellavit *Filium Pantheris*, quam opinionem hausit à Judæis idem asserentibus in Thalmud cap. xli. *Sabat*, quod opinor, gloriosissimum Virginis sponsum, quem putant concubuisse cum Maria, non proprio clarissimoque nomine, sed avi, familiæque distinxerint. Atque ita conveniunt omnia, Josephum fuisse filium Heli lege, Mariam filiam naturæ Joakim, ambo autem conjuges, propinquos sanguine, atque ex eadem tribu.

6.  
Refellitur.

Sed ad refellendum Basnagium, & Serryum ipsa quoque eorum opinio deseruit. Detur enim Mariam fuisse filiam Heli, & à Luca Mariæ progenitores recenserunt. Atqui Heli, & Joakim idem omnino sunt, non mystica significatione, vel nominis pluralitate, ut idem Serry scribit Exercit. xlii. 5. sed nomine propriissimo, ac singulari. Joakim enim idem omnino est, ac Eliakim: nam liquet antepenultimum Regem Judæ, quem constat dictum Eliakim, appellari Joakim iv. Regum xlii. 34. & 2. Paralip. xxxvi. 4. & Pontifex, qui Judith. iv. 5. appellatur Eliakim, cap. xv. 9. nominatur Joakim. Joakim ergo, & Eliakim idem omnino sunt. At Heli est ipsum nomen Eliakim contractum, ut demonstrat Vossius Dissert. de Gen. Ch. cap. iv. 4. & Erasmus ad iii. Lucæ. Idem ergo nomen sunt Heli, Eliakim, & Joakim, & Basnagius, ac Serryus ex suismet principibus refutantur. Nec tamen sequitur veram esse horum opinionem, & à Luca referri genus Mariæ, non Josephi: cum enim uterque essent iisdem atavis progenerati, potuerunt etiam habere parentes ejusdem nominis, & qui proinde distinguarentur, attributo uni nomine contracto *Heli*, alteri nomine integro *Joakim*.

7.  
Argumenta  
Criticorum.

Verum Critici alias argumentationes producunt ad probandum nomina Genitorum Deiparæ incerta esse; illasque urget ipse Serryus. Prima est, quod Hieronymus cap. 7. contra Helvidium existimat Mariam Cleophas sororem Deiparæ, dictam non à marito, sed à patre, ideoque Cleophas, non Joakimus erat Pater Virginis. Sed hæc nimis levis est, atque inepta. Primo enim repugnat sententiæ, quam probabilior putat ipse Serry, narrari à Luca generationem Mariæ, & hanc filiam fuisse Heli. Si enim Heli quomodo Cleophas? Deinde Hieronymus non illud vult Mariam denominatam à patre proximo, sed ab eo, qui

familiæ nomen tribuerit; nam ait, *À patre, sive à Gentilitate familiæ*. Altera argumentatio est, quod Augustinus lib. xlii. contra Faustum cap. ix. ait: *Quod de Generatione Mariæ Faustus posuit, quod patrem habuerit ex tribu Levi Sacerdotem quemdam nomine Joakim: quia canonicum non est, non me constringit*. Sed sciendum est, quemdam Manichæum, Seleucum nomine, ut refelleret caput primum Matthæi vulgasse apocrypham quamdam scripturam de Generatione Virginis ex tribu Levi, non ex tribu Juda. Negat itaque Augustinus patrem Virginis fuisse quemdam *Joakimum ex Tribu Levi*, non negat fuisse *Joakimum ex tribu Juda*. Verum est tamen quod Augustinus addit: *Sed etiam hoc crederem, ipsum potius Joakim dicerem aliquo modo ad David sanguinem pertinuisse, & aliquo modo ex tribu Juda in tribum Levi fuisse adoptatum, vel ipsum, vel aliquem ejus progenitorem*. Quibus videtur Augustinus dubitare an pater Deiparæ dictus sit Joakim: sed non ita est; planus enim, & expeditus horum verborum est sensus, etiamsi crederem Joakim in antiqua Scriptura dici Levitem, existimarem pertinuisse ad tribum Levi adoptione, non sanguine. Quare Augustinus de progenie Mariæ disputat, de nomine autem patris ejus nihil penitus. Postrema argumentatio est, quod usque ad undecimum sæculum adeo dubia fuerint nomina genitorum Deiparæ, ut Petrus Damiani Serm. lxi. de Nativitate Virginis invehatur in illos, qui hæc nomina *studio superflue curiositatis inquirunt*. Sed in oppositum nos producimus Epiphanius in Hæresi Andocymarianitarum, & Collyridianorum, & dicimus Petrum Damiani locutum adversus illos, qui seriem progenitorum Mariæ probabant ex apocryphis scriptis, qualia sunt citatus liber Seleuci, & quæ antea Gnostici ediderant *de stirpe Mariæ*. Horum tamen nullam habuit rationem Epiphanius, nam librum *De stirpe Mariæ* H. xxvi. quæ est Gnosticorum, appellat *πεπλασμένη γράφειν, scripta commentitia*, ubi autem scribit parentes Deiparæ fuisse Joakimum, & Annam, addit ita *παράδοξας ἔχειν, traditiones habere*. Standum ergo vulgaræ apud nos sententiæ, sic revera appellatos Mariæ semper Virginis Genitores.

De Beata Anna hoc tantum novi, à pluribus dici filiam Gaziri ex tribu Juda, & ex Judææ oppido Bethlehem: at ejus patrem fuisse Mathat sacerdotem scribit Nicephorus lib. i. cap. 3. qui & laudat antiquum scriptorem Hippolytum Portuen-



tuenſem. Illud tandem animadverto non probari quod nomina Joakim, & Annæ ſint ſuppoſita, ex quo unum *Præparationem Domini*, alterum *Gratiam*

ſignificet; nullum quippe nomen proprium ſignificatione ſua caret: atque duo præfata nomina fuerunt aliis ex Judæorum gente communia.

## CAPUT IV.

An in Genealogia Chriſti à D. Luca deſcripta nomen Cainan inſitum ſit, atque expungendum?

### S U M M A R I U M.

1. Status quæſtionis.

2. Propoſitio prima cum ſuis demonſtrationibus.

3. Propoſitio 2da cum ſuis probationibus.

4 & ſeqq. Solvuntur quædam in contrarium argumenta.

1. Status quæſtionis.

**P**ROBLEMA Chronologicum, atque fere inextricabile proponimus de Cainane poſito ab Evangelifta Luca cap. III. 36. inter Arphaxad, & Sale, de quo cum non ſit in Cap. x. & xi. Genef. in Hebræis, Latinisque Codicibus, eoque appoſito videatur perturbari tota Chronologia Patriarcharum, quæritur an redundet in Evangelio, an deſideretur in Genefi. Scriptorum atque Interpretum ſententiæ ſunt omnino diſcrepantes ac variæ. Nam aliqui contendunt falſatos eſſe libros veteris Teſtamenti à Judæis, ut ſeriem temporum immutarent, neque Meſſiæ adventus poſſet certa annorum ſupputatione deprehendi. Quidam econtra intruſum eſſe contendunt in Luca Evangelium, neque inſcriptum ſive ab Evangelifta, ſive à Lxx. Int. in x. Genefiſis, quam ſententiam omnes fere Critici recentiores amplectuntur. Nonnulli & à Septuaginta poſitum, & à Luca, qui Lxx. ſecutus eſt vere ſcriptum, nec tamen novum Teſtamentum pugnare cum veteri Hebræico, atque hæc poſtrema ſententia cum explicatu difficilis ſit, diverſa ratione à ſuis auctoribus expeditur, aſſerentibus aliis Moysen conſulto generationem Cainanis prætermiſſiſſe, ut certas ſervaret decades, aliis Sale, & Cainan eandem eſſe perſonam, aliis modeſte cum Venerabili Beda in cap. 3. Luc. affirmantibus incompertum eſſe quid verum ſit, cum etiam Lxx. vetus Teſtamentum adornaverint divino Spiritu aſſante.

2. Propoſitio I. cum ſuis demonſtrationibus.

**PROPOSITIO I.** Hebræi non abraſerunt generationem Cainanis ex cap. x. Gen. 24. & ex cap. xi. 12. Demonſtratur primo, quoniam omnes Hebræici Codices hanc *Cainan* generationem omittunt: atque omnino incredibile eſt, Hebræos cujuſlibet perverſi-

tatis, vel malitiæ tantum potuiſſe, ut Codices tam multos; ac tam longe diſperſos corrumpere, ut cum Auguſtino diximus lib. xi. cap. 7. Inſuper cum immaculata adhuc ſint vaticinia de Chriſto, eaque Judæi minime violaverint, multo magis tenendum eſt illos citata loca Geneſeos non depraviſſe. Enimvero certis ſignis adhuc in Scriptura expreſſis adventus Meſſiæ prænuntiatus eſt, neque præciſe annus mundi, quo venturus erat, alicubi designatur. II. In nulla antiqua Bibliorum verſione, ſi Græcam excipias, Cainan adinvenitur, non in paraphraſi Jonathanis, vel Onkeloſii, non in Codice Samaritano, non in Syriaco, non in Arabico, ut liquet ex libris Regiis, & Waltonianis Tom. 1. pag. 40. & quod præcipuum eſt, deſideratur etiam in Vulgata noſtra Hebræico textui in Patriarcharum generatione, & chronologia exacte concordi. III. Omittit *Cainan* S. Hieronymus Quæſt. in Geneſim, & Epiſtola ad Evagrium, ubi Patriarcharum tractat genealogiam. Omittit Joſephus lib. 1. Antiq. cap. vii. 11. omittit Beroſus ab ipſo Joſepho productus: omittit Eufebius Cæſarienſis in Chronico, tam in ſupputatione annorum juxta textum Hebræicum, quam juxta Samaritanum, & Græcum: omittunt denique Scriptores alii, atque Patres quamplurimi. IV. Hiſtorici omnes tam profani, quam ſacri concordiffime ſcribunt vixiſſe Abrahamum decima poſt diluvium generatione. At non decima, ſed undecima vixiſſet, ſi connumeraretur generatio *Cainanis* inter Arphaxad, & Sale. V. Neque in primo libro Paralip. cap. 1. 18. ſit Cainanis mentio aliqua, quamquam hoc in libro prætermiſſa colligantur, & ſingulatim ſupputentur generationes: unde derivatum eſt nomen *Paralipomenon*, videlicet, *prætermiſſorum*. Aſſentiuntur huic propoſitioni,



tioni, & hæc argumenta proponunt Natalis Alex. Hist. Eccl. vet. Testam. Aet. 11. differt 4. Serry Exercit. XLIII. Grotius in cap. 111. Lucæ, Usserius in differt. de Cainan, Cornelius à Lap. & Pererius in Genesim, Possinus de Genealog. Ch. cap. 5. Petavius lib. 1x. de Doctrina Temp. cap. 17. Gerardus Vossius in differt. v. Chronologica cap. 2. Innumeri denique Scriptores cujusque ordinis, ac Religionis.

3. Propositio 2. cum suis probationibus.

PROPOSITIO II. In Evangelio Lucæ Cainan insitus non est, & per errorem appositus, sed revera ab Evangelista scriptus, atque autographus.

Hæc propositio, quæ videtur repugnans præcedenti, ideoque à Criticis impugnatur, potest tamen cum illa concordare, & nullo certo argumento refellitur, probatur I. Perperam dicitur ex genealogia Salvatoris *Cainan* expungendus, si extet etiam in Versione Græca quam secutus ubique est Lucas Evangelista. At in versione Græca revera *Cainan* locum habet cap. x. Genes. v. 23. & cap. xi. 12. nec non in 1. Paralip. 1. 17. 26. Igitur non est *Cainan* expungendus à Christi genealogia. II. Septuaginta revera posuisse Cainanis generationem liquet ex innumeris Græcis exemplaribus hæcenus per multa sæcula mire conspirantibus, & ex Romana Sixtina editione ad fidem antiquissimorum Codicum exacta: ex vetustissimo MS. Alexandrino, in quod Adnotat. edidit Junius, postremo Volumine Bibl. Waltonianorum, ex MSS. Oxoniensibus; ex emendatissimis Edit. Complutensi, & Aldina. III. Nunquam Patres de hac re dubitarunt. Ex Græcis enim solus Epiphanius κατὰ μακχισοδενικων Cainan omittit enarrans Christi Genealogiam; nam quod illum in ætate Patriarcharum non enumeret Theophilus Antiochenus, Julius Africanus, & Eusebius, parum refert, ut postea explicabo. Ex Latinis autem Cainanis generationem scriptam à Luca agnoscit Ambrosius, Beda, Hieronymus, alii. IV. Laudatus Hieronymus Quæst. in Genes. affirmans Lucam inseruisse Cainan, propterea quod scribens gentibus non debebat contrarium aliquod scribere adversus eam Scripturam, quæ fuerat in gentibus divulgata, tanquam indubitatum supponit extitisse Cainan etiam in Græca illa veteris Testamenti versione, quæ obtinebat Apostolorum ætate. V. Invicum Critici reputant argumentum, quod pro-

bent in vetusto Hebræorum Codice veteris Testamenti locum non habuisse *Cainanem*, quoniam nec extat in antiqua alia versione, si Græcam excipias. At valet etiam de textu Lucæ similis argumentatio, quoniam *Cainanem* habet Genealogia à Luca descripta in omni prorsus versione, in Vulgata, in Græca, in Persica, in Arabica, in Æthiopica, ut liquet ex Bibl. Regiis Tom. v. pag. 252, & Walton. Tom. 5. p. 264. similiter in Complutensibus, & in Hebraica Romæ excusa anno 1668. VI. Tandem Vulgata Tridentini Concilii decreto authentica declarata est, & licet ejus auctoritati minime officiant leviora hujus generis menda, ut sentiunt viri Catholici, temere tamen dicitur scateri erroribus, ubi non occurrat apertissima demonstratio. Quamobrem cenfeo à doctis viris, qui mandante Romanæ Ecclesiæ Pastore corrigendæ Vulgatæ infudarunt, recte *Cainanem* non fuisse insertum veteri Testamento ob antiquorum Codicum concordantiam: recte quoque ob eandem rationem non fuisse expunctum à novo, & utrobique esse Vulgatam, qua utimur, immaculatam.

SOLVUNTUR QUÆDAM IN CONTRARIUM ARGUMENTA.

Oppones 1. Debemus necessario unum, 4. vel alterum fateri, aut mendum irreprehensibile in Hebræos, ac Latinos Codices V. T. aut in Evangelicum Lucæ textum; cum interposita generatione Cainanis, corruat Vulgatæ, & Hebræicæ lectionis Chronologia. Atqui hæc à nobis defenditur lib. xi. cap. 7. nec non probatur præcedenti propositione veritas Vulgatæ & Hebræicæ Scripturæ. Est ergo ab Evangelico textu Lucæ generatio Cainanis detrahenda. Resp. nego majorem. I. Quia etiam si inter Hebræos, Græcosque Codices magna sit annorum discrepantia; exorta hæc est, ut Augustinus scribit lib. xv. de Civit. Dei cap. 13, non malitia Judæorum, aut errore Interpretum; sed potius Scriptoris, qui primus omnium ex Bibliotheca Ptolomæi codicem describendum accepit. II. Ex quo fateamur errorem in Chronologica Græcorum librorum supputatione, non sequitur etiam nomen *Cainanis* fuisse insitum fraude Scriptoris; quoniam, ut animadvertit Genebrardus in Chronico ad annum M. 1659. potuit Arphaxad generare Cainan anno ætatis suæ xviii. & Cainan generare Sale anno xvii. atque ita posita etiam generatione Caina-

Obiectio 1. cum Respons.



Cainanis cum LXX. & cum Evangelista defenditur, quod Sale genitus sit anno xxxv. Arphaxad, ut habent Codex Hebraicus, & Vulgata. III. Etiam si *Cainan* quoque non extaret in authographo scripto Alexandrino, ut contendit Usserius, erat tamen in Versione communi, quæ obtinebat temporibus Apostolicis, ut idem Usserius demonstrat ex Demetrio apud Eusebium lib. ix. Præp. Evangelicæ, ubi connumerantur ab Adam usque ad descensum Jacobi in Ægyptum anni 3624. in quibus manifesto continentur anni Cainanis cxxx. Atque hinc viri docti complures tenent Cainan utique non fuisse à LXX. Interpretibus positum, fatentur tamen extitisse in Versione, qua utebantur Judæi etiam ante Christi tempora: ideoque Lucas, ut scribit Hieronymus, noluit *Cainan* prætermittere, *adversus eam Scripturam, quæ fuerat in gentibus divulgata*: quemadmodum Act. vii. 14. ait ingressas in Ægyptum animas septuaginta quinque, juxta eandem Græcam, vulgatamque lectionem, etsi in Genes. xlv. 27. dicantur animæ tantum septuaginta.

5. Opp. 2. Afferitur Cainanem appositum à D. Luca, quoniam is secutus est versionem LXX. Interpretum. At in antiqua LXX. Interpretum versione *Cainan* non extitit. Itaque nec à D. Luca fuit appositus. Probatur mi. I. Quia Philo Judæus, Julius Africanus, Irenæus, Epiphanius, & alii, qui chronotaxim LXX. Interpretum sequuntur, annos Cainanis omittunt. II. Idem evincunt Chronicon Eusebii, & monumenta alia, de quibus in præcedenti propositione. III. Idem liquet ex Origenis Hexaplis, & ex tertio libro Theophili Antiocheni ad Autolyceum. IV. Desiderari *Cainan* in editione Romana Carasæ, & in Emendationibus Græcis scribunt Masæus, Pererius, & Vossius. V. Neque nunc extat *Cainan* in omnibus Græcis Codd. primo capite Paralipomenon, ut inquit citatus Vossius in Isagoge Chronolog. p. 17. & Grotius in III. Lucæ.

6. Resp. i. nego consequentiam; quamvis enim detur LXX. *Cainanem* omisisse, potuit illum Lucas inferere secutus Græcam versionem communem ac divulgatam. Deinde respondeo negando minorem, cum revera LXX. *Cainanem* inscripserint, ut ex innumeris MSS. mirifice conspirantibus, ex omnibus Lucæ versionibus, atque ex ampliori Patrum numero comprobatur. Ad primam vero minoris probationem concedo Philonem,

Julium Africanum, aliosque Græcam sequi Chronologiam, atque hanc etiam ab Hebraica discrepare, sed potest Cainan interponi inter Arphaxad & Sale, salva etiam Hebraica supputatione. Quod si tenere velimus opinionem Armachani, aliam fuisse Græcam versionem diversam ab ea, quam adornarunt Interp. LXX. illamque repositam in Bibliotheca Cleopatrarum, dicemus Philonem, aliosque perpauca hanc fuisse secutos. Id vero de Patribus Catholicis majori probabilitate affirmatur; quoniam etsi concedatur Valesio in Annot. Euseb. pag. 307. & seqq. falsam esse Usserii de duplici Græca Translatione sententiam; negari non potest, quin circa Origenis tempora plures obtinuerint Versiones Græcæ, ut liquet ex ejus Tetraplis. Hieronymus in Epist. ad Suniam & Fretellam Tom. 2. pag. 627. aperte distinguit versionem communem & Lucianæam, ab illa, quæ extabat in Origenianis Hexaplis, feliciter à se in Latinum sermonem conversa, & decantata in Hierosolymitana, & Orientalibus Ecclesiis. Addit communem illam dictam à plerisque Luciani, *pro locis, & temporibus, & pro voluntate Scriptorum veterum fuisse corruptam*. Similiter in Præf. ad lib. Paralip. Tom. 1. pag. 1022. scribit Alexandriam & Ægyptum in LXX. suis Hefychium laudare auctorem, Constantinopolim & Antiochiam probare Luciani Martyris exemplaria, & medias inter has provincias Palestinæ legere Codices ab Origene elaboratos, atque ita universum orbem hæc inter se varietate compugnare. Oporteret ergo ut Adversarii demonstrarent, à Patribus qui Cainanem omiserunt, fuisse perfectam solam Versionem LXX. Interpretum immaculatam, non communem, & Lucianæam. Ad 2. ac 3. primum opponitur idem Eusebius de Præp. Evangelicæ ix. cap. 21. ubi ex Demetrio & Polyhistore in supputatione præcorum annorum etiam annos Cainanis includit. Deinde dicimus Eusebium, & Pamphilum secutos Origenem, qui inter se pugnantia exemplaria permiscuit, & in ipsa Versione LXX. quam Hieronymus in Epist. ad Suniam, & Fretellam vocat incorruptam, & immaculatam, apposuit etiam editionem Theodotionis, quod idem Hieronymus Præf. ad lib. Paralip. magnè tribuit audaciæ. Nihil itaque certi ex Origene, & Eusebio inferre possumus. Perpaucis Versionibus cit. num. 4. & 5. opponimus innumeras alias, ac vetusta MSS. de quibus supra; omnesque Versiones Lucæ, eam quoque, quam ad fidem Græcorum Codicum emendavit Hieronymus. Fortassis versio



versio librorum Paralipomenon, in qua desideratur *Cainan*, aut est Græca communis, aut saltem interpolata. Verum desideratur in perpaucis Codd. atque in his etiam, quæ non habent *Cainan* in Paralipomenis, extat in Genesi; neque hi cum aliis Codicibus numero, vel antiquitate comparandi.

7. **Obijciunt** 3. Opp. 3. Si Moyses *Cainanem* prætermisit, quomodo LXX. Interpretes illum intrudere potuerunt? Deinde generatio *Cainanis*, aut fuit Moysi nota, aut non: si nota fuit, eccur eam omisit? Si illam ignoravit, unde scire potuerunt Græci Interpretes? Hi ergo *Cainanem* non apposuerunt, ideoque nec Lucas, quemadmodum ex Codice Cantabrigienfi docti quidam Critici demonstrant.

8. **Respondetur.** Resp. 1. non consequi prætermisum à Luca *Cainanem*, quod neque illius meminerint LXX. potuit enim etiam Apostolorum ætate irrepsisse in Græcam apud Gentes divulgatam versionem, quam auctore Hieronymo provide Evangelista secutus est. Codex autem Cantabrigienfis neque parem habet cum innumeris aliis auctoritatem, neque tantæ est, ut arbitratur Theodorus Beza, antiquitatis, neque demonstrari potest, quin illum ad variantes Græcas Vet. Testamenti Versiones sciulus Amanuensis corruerit. Præterea respondetur, nec invicte demonstrari quod LXX. *Cainanem* omiserint. Quamquam enim non exta-

ret in Hebraicis Codicibus, potuerunt Septuaginta, qui non tam fuerunt Interpretes, quam paraphrastæ, illum addere ex certa traditione, vel ex libris Genealogiarum apud Judæos asseruatis. Moyses vero *Cainanem* prætermisit, vel ut generationum seriem usque ad Abrahamum in certas decades distribueret, vel ob aliam nobis incompertam rationem. Ita enim Matthæus cap. 1. plures generationes omisit, sive numerare voluerit per *tessaradecades*, ut fert communis opinio, sive prætermiserit natos ex famina gentili, ut scribit in Matthæi cap. 1. Hilarius. Cæterum aut LXX. *Cainanis* meminerint, aut non, aut per errorem in græcam versionem irrepsit, aut ei accesserit ex legitimis monumentis; si extabat in codicibus per orbem sparsis, recte illum Lucas apposuit, ne in re parva, atque ad fidem nullatenus pertinente suo dissensu turbaret nascentem Ecclesiam, ut ex Catholicis defendunt Sixtus Senensis, Steuchus, Genebrardus, Jansenius: ex aliis Franciscus Junius in Anal. Genes. & in Parallelis.

Nota quod opinio asserentium *Cainanem* esse binomium, aut fratrem Arphaxad, vel Sale defendi non potest; nam Codices in quibus *Cainanis* fit mentio, tres aperte generatione distinguunt; legitur enim in Græcis cap. x. Genes. 23. *Et Arphaxad genuit Cainan, & Cainan genuit Salam.*

## CAPUT V.

Expediuntur nonnullæ circa Christi corpus quæstiones.

### SUMMARIUM.

1. Error Hæreticorum.
2. Corruptio est duplex.
3. Christi corpus in aliquo sensu fuit corruptibile.
4. In alio sensu incorruptibile.

**D**E CHRISTI corpore, quod revera ex Virgine assumptum adversus Phantasiastas demonstravimus, quærent Theologi an corruptibile dicendum sit, an membris omnibus, ac sanguine, nostrorumque corporum proprietatibus fuerit coagmentatum, atque elegantem formam habuerit, vel deformem potius & despicabilem.

1. **Error Aphthartodocitarum.** Circa priorem quæstionem fuit olim hæresis Aphthartodocitarum, & Severitarum, ut appellatur à Nicephoro Callisto lib. xvii. H. E. cap. 28. qui à Juliano Halicarnasseo, & Gaino Eutychieanae sectæ progressi sub pietatis prætextu per-

suadere conati sunt fuisse assumptam ex Virgine carnem ante passionem incorruptibilem. Hoc errore correptos scribit idem Historicus præclaros viros, qui honores ac magistratus gesserunt, primarios Hierarchas, Monachos vitæ illustres, atque ipsum etiam Imperatorem Justinianum. Hunc vero non solum tali opinioni plurimum adhæsisse, verum etiam voluisse per vim cogere omnes ubique Episcopos, ut eidem assentirentur, quamquam hi respondentes expectandam sententiam Anastasii Episcopi Antiochenensis, Imperatoris impetum declinaverint, narrat etiam lib. 1 v. cap. 39. Evagrius. As



At Imperator, quemadmodum inquit eo loci Calliſtus, falſæ adhæſit opinioni, *non alius dogma tale inveſtigans, ſed verbi ipſius* (corruptionis) *ſignificationi acrius inſiſtens.*

2.  
Corruptio  
duplex.

Sciendum eſt autem *corruptionis* vocabulum duplicem habere ſenſum, quo explicato finita eſt controverſia. *Corruptio* enim alia eſt, per quam anima à corpore divellitur, atque corpus ipſum ſubjicitur alterationi, unde fames, ſitis, fatigatio, angor, & cæteræ paſſiones hujusmodi exoriuntur. Alia autem eſt *corruptio*, per quam corpus in elementa, ex quibus compositum eſt, diſſolvitur, ac tabe macieque inquinatur.

3.  
Chriſti corpus  
fuit corruptibile,  
in aliquo ſenſu.

Itaque dicimus juxta priorem ſignificationem Chriſti corpus fuiſſe corruptibile, quemadmodum ex Scripturis, ex Patribus, atque ex ratione poteſt facile demonſtrari. Nam Matth. iv. 5. legimus eſuriſſe, Joan. iv. 6. fatigatum fuiſſe ex itinere, Marci xiv. 33. cœpiſſe pavere, & cadere, Luca xxi. 46. expiraſſe; & in Epistoſa ad Hebræos iv. 15. fuiſſe *tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Reſpondebant Julianus & Gainus, dum hæc illis Catholici opponebant, etiam poſt reſurrectionem Chriſtum manducaſſe ac bibiſſe; paſſum vero, & contriſtatum, non conditione carnis aſſumptæ, ſed diſpenſatione divina. At ex adverſo inſtabant Catholici poſt reſurrectionem Chriſtum manducaſſe ac bibiſſe oeconomia quadam ac diſpenſatione, ut veritatem corporis ſui demonſtraret: ſed antea id præſtaſſe naturali affectione; quoniam nullibi Scriptura teſtatur Chriſtum poſt reſurrectionem ſuam manducaſſe eſurentem, aut ſitientem bibiſſe, ſicut id affirmat de Chriſto ante paſſionem ac mortem. Naturaliter etiam fatigatum, contriſtatum, ac paſſum ipſa divina Scriptura teſtatur, docens fatigatum ex itinere, triſtatum ob carnis imbecillitatem, atque *ex infirmitate crucifixum*, ut ſcribit Apoſtolus 2. ad Corinth. xi. 4. Eſi ergo omnibus his affectionibus non invitatus atque ex neceſſitate ſubjectus fuerit, cum poſſet omnipotentia ſua omnes carnis defectus repellere; nihilominus volens carni & ſanguini communicare, ac ſinens humanitatem ſuos actus exercere, ex conditione naturæ eſurivit, ſitivit, aliasque ſuſtinuit paſſiones. Vide Auguſtinum lib. 1. de Pecc. meritis cap. 27. ubi aſſert teſtimonia Scripturarum, quæ Chriſto tribuunt noſtras infirmitates; nec non lib. 11. cap. 29. ubi docet Chriſtum perpeti voluiſſe etiam mutationem ætatis; atque inter illum cæterosque homines

R. P. Berti Theol. Tom. V.

iſtud intereſſe diſcrimen, quod alii habentes carnem peccati motibus irratiſonabilibus perturbantur, neque hi ſemper ratione, vel imperio cohibentur: Chriſtus vero, qui ſimilitudinem carnis peccati obedientiæ voluntate ſuſcepit, habuit corpus corruptibile ac mortale ſine peccato. Similia docent alii PP. Accedit ratio, quam ſupra cap. 2. produximus, Chriſtum de peccato damnaſſe peccatum in carne, ideoque dedignatus non eſt ad opus redemptionis perficiendum carnis peccatricis defectus aſſumere, iis exceptis, qui vitioſi ſunt, qualis eſt ſenſuum perduellis commotio, & fomentum noxiæ cupidinis, & qui non communem naturam conſequuntur, ſed peculiarem ſecundarum cauſarum deficientiam, ut cæcitas, ſurditas, & conſimiles.

At ſi loquamur de corruptione juxta ſecundam atque communioſiorem ſignificationem, dicimus ſacroſanctum Chriſti corpus incorruptibile. Ita nimirum aſſerunt Scripturæ, ut pervulgatum illud Pl. xv. 10. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Docent ſimilia Patres, Cyrillus lib. 9. de Adorat. *Incorruptibile eſt Chriſti corpus, & divinam in ſeipſo naturam habet.* S. P. Aug. ep. 146. nunc 205. ad Conſentium: *Conſtat, neque ullo modo dubitandum eſt, corpus Chriſti, quod licet corruptionem putredinis in ſepulchro non viderit, unde ſcriptum eſt, Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem, clavis tamen, & lancea pervumpi potuit, nunc omnino in incorruptione conſiſtere.* Et Fulgentius in Epistoſa ad Rheginum cap. 4. *Chriſtus non vidit corruptionem, quia nulla ſenſit caro ejus putredinem.* Proferri etiam poſſunt ſatis apertæ rationes tum ex celeritate reſurrectionis, tum ex redemptione ipſa conſummata in Chriſti morte, ad quam propterea neceſſaria non erat ſacri corporis in cineres reſolutio; tum denique ex decentia, ob quam viris ſanctitatis eximie incorruptionis conceditur privilegium, multo minus denegandum carni immaculatæ ac puriſſimæ, quam divinum Verbum nec in triduo mortis diſmiſit. Salvatoris autem Sanguinem calice diſtributum non eſſe corruptibilem, recte ſcripſit in Epistoſa adverſus Paulum Samofatenſem Dionyſius Alexandrinus. Argumenta in contrarium, quoniam ſingulariter excludunt à Chriſto doloris ſenſum, afferuntur ſequenti capite.

Altera quaſtio ex ſuperioribus ſoluta eſt. Ut enim Scriptura Chriſto verum tribuit corpus, ita etiam vera tribuit

K

4.  
In alio ſenſu  
eſt incorruptibile.

5.  
Conſtans  
membris humanis.

mem-



membra, pedes, manusque clavis perforatas, pectus super quod discubuit Joannes, caput spinea corona circumdatum, & latus apertum lancea. Fuit ergo dominicum corpus humanis membris instructum. Sanguinem pariter habuisse liquet ex sudore in horto, ex flagellatione in pratorio, atque ex crucifixione in Golgotha, affirmantibus etiam Apostolicis libris ipso sanguine emundari conscientiam nostram, ut legitur in Epistola ad Hebræos ix, 14. & in prima Joannis 1. 7.

6. Circa quæstionem tertiam de forma ac specie corporis Christi, videntur recentiores Critici ac Theologi in eam magis sententiam propendere, quæ asserit nec speciosum & insigniter venustum fuisse, neque facie turpi ac deformi, incertum tamen esse quam oris formam præsetulerit. Ita scribunt Hyacinthus Serry Exercit. XLVII. Juénin Dissert. v. de Incarnat. cap. 8. Tournely q. x. art. 4. alique permulti. Alii tamen, etsi Christo denegant pulchritudinem illam muliebrem affectatam, qua carnales oculi alliciuntur, sitam in rubore genarum, labiorum risu, illecebrisque oculorum, concedunt tamen illi singularem venustatem in apta partium dispositione, convenienti statura, ac temperato colore constitutam: cui opinioni præter veteres plurimos adhærent Calmet differt, in Isaïam, Sandinus in Hist. familiæ sacræ cap. XVIII. & erudito Comment. in Aereum Nummum Musei sui Eques Florentinus Petrus Victorius.

7. Quam Speciosa.

Huic opinioni nos ultro ac lubenter subscribimus. I. quia Nicephorus Callistus lib. 1. cap. 4. ut à Majoribus traditum refert Jesum Christum egregio viderique vultu fuisse: corporis statura ad palmos prorsus septem: caesariem habuisse subflavam, nec admodum densam, capillos prolixiores, &c. Rejiciunt quidam Nicephorum tanquam posterioris ævi scriptorem, sed nequit tamen aperta falsitatis revinci, ac potuisse illum hæc accipere ex Veterum monumentis sequentia commostrarunt. II. Negari non potest multa olim exitisse longe ante Nicephorum Christi simulacra, & imagines. Erectam illi statuam ab Hamorrhossa in urbe Pæneade scribit Eusebius lib. VII. H. Ecc. cap. 18. Asterius Amasenus apud Photium Cod. 271. Gregorius II. in Epistola ad Germanum Episcopum Constantinopolitanum, alique permulti laudati à Sandino, & Victorio. Atque hanc statuam Juliano Apostata imperante fuisse con-

fractam, auctor est libro III. cap. XXI. Sozomenus. Aliam mulierem servasse apud se Christi simulacrum refert Calmet ex Lampidrio. Idem de Alexandro Severo tradunt communiter Historici. Accedunt Imagines non manufactæ, non solum missa ad Abagarum, quam critici in dubium revocant, commemorant tamen Synodus VII. act. 5. & Damascenus lib. IV. de Fide Orthodoxa cap. 16. verum etiam Acheropeeta miraculis celeberrima & Romæ ad Scalam sanctam asservata, diversa, ut opinor, à Sudario Veronicæ, licet Sandinus illam cum ista pag. 280. confundat. Hæ autem imagines eandem Christi referunt formam, quam describit Nicephorus. Quamquam vero prædictæ imagines non essent, ut creditur, divinitus efformata, cum perantiquæ sint, eandemque Christi speciem exhibeant, demonstrant Nicephori traditionem revera à veteribus acceptam, non ab ipso confectam. III. Servatur adhuc Augustæ Taurinorum sacra Sindon, quam aliqui quidem rejecerunt eo quod non referat notas institutum, sed egregie defendit Chiffletius respondens ea Sindone non obvolutum Christi corpus jam unctum, & institutum post pollincturam, sed cruentum, & recens è cruce depositum, unde non tantum exhibet notas quinque vulnere, ut Vestimentum Sudarium, sed maculis sanguineis utramque corporis partem delineat. In hac ergo Sindone miraculorum celebritate, devotione sancti Caroli Archiepiscopi Mediolanensis, & Julii II. diplomate confirmata, omnia, quæ Nicephorus narrat, si unum excipias colorem, ipsis oculis conspiciuntur; statura sex pedum geometricorum minus tribus digitis, quæ eadem est ac septem palmorum, caesaries prolixior, non admodum densa, & ad verticem discriminata, barba mediocriter promissa, frons plana, & nasus modico tractu diffusus.

Quamquam vero incerta esset hæc specialis Christi forma, non fuisse inelegantem & despicabilem colligimus ex sacris literis, ex Patribus, & ex ratione. Le- 8. Non fuisse in  
gimus enim Pl. XLIV. 3. Speciosus forma  
præ filiis hominum. Hunc quidem locum fatemur exponi à Chrysostomo, à Theodoro, ab Augustino, ab aliis, de virtutibus animi, & gloria divinitatis: sed interior pulchritudo formam corporis non imminuit; imo hæc sæpenumero illius est argumentum. Etenim de pulchritudine corporis eundem locum interpretatur idem Chrysostomus Hom. XXVIII. in Matthæum, quam pulchritudinem



dinem Chriſto nequaquam denegant S. Hieronymus in cap. 9. & 21. Matthæi, atque in Epiftola ad Principiam, ubi affirmat in illius vultu *quidam fuiſſe ſidereum*, & Bernardus ſcribens ſerm. 1. de Omnib. SS. adhæſiſſe ei populos affatu pariter & aſpectu iplius delectatos: *cujus nimirum vox ſuavis, & facies decora*. Pro eadem ſententia S. Thomas in Pl. 44. laudat Auguſtinum, additque rationem Theologicam, quod pulchritudo maxime competebat ad ſtatum, & reverentiam ſuæ conditionis. Diximus paulo ſupra non aſſumpſiſſe Chriſtum defectus expeculiaribus cauſis proficiſcentes. Sane quod membra humani corporis optimam & naturæ convenientem ſymmetriam non habeant, provenit ex defectu particularis cauſæ. Fuit ergo in Chriſto aptiſſima omnium partium diſpoſitio, ideoque eximia facies, & pulchritudo, maxime quod corporis ejus fabricator fuerit ac ſubminiſtratam à Virgine materiam diſpoſuerit Spiritus ſanctus.

9. Pugnat adverſus dicta 1. quod Origenes contra Celſum, Clemens Alexandrinus lib. 111. Pedagogi, & Tertullianus de Idololatria, videntur Chriſto tribuere vultus obſcuritatem. Auguſtinus etiam ſerm. xx. de Verbis Apoſtoli, nunc ordine xxvi. productis verbis Iſaiæ LIII. 2. *Non eſt ſpecies ei, neque decor*, ait, quod ſpeciem & decorem non habebat ut homo. II. Quod Eufebius Conſtantia Licinii uxori petenti ut ad ſe mitteret Chriſti imaginem, reſpondit exprimi illam non poſſe. III. Quod magis cedat in Dei gloriam, ſi dicatur cum Clem. Alexandrino libro vi. Strom. Chriſtum, uti humilitate, ac paupertate, ita forma vili, & neglecta doctrinam ſuam feliciter promulgaſſe. IV. Demum quod Auguſtinus VIII. de Trinit. cap. 4. haud male ſcribat Dominicam faciem à ſingulis, ut lubet, fingi & variari.

IO. Verum facilis eſt ad hæc omnia reſponſio. Ad 1. enim dicimus PP. loqui de Chriſto cruci appenſo, & inter manus perſecutorum, ut proculdubio lo-

quitur cap. LIII. Iſaias, & Auguſtinus citato ſerm. num. 6. & in Pſalm 127. num. 8. Aut denegant Chriſto pulchritudinem illam muliebrem. quæ allicit carnalium oculos, non gravem illam & cum majeſtate conjunctam, quæ terret iniquos. Hæc enim tanta in eo fuit, ut nunquam auderent improbi in ipſum manus injicere, niſi dum venit hora eorum, & poteſtas tenebrarum. Ad ſecundum inquit Sandinus Eufebium reſponſiſſe Auguſtæ, non poſſe exprimi pennicillo Chriſti humanitatem eo quod mortalitas à gloria abſorpta eſt, quoniam profitebatur ſectam Arianorum, & ipſe fortaliſſis imagines Chriſti non admittebat. Sed ſalva Eufebii fide, videtur allata ratione ſignificare, non potuiſſe ab ullo artifice faciem Chriſti exprimi ad vivum ob gloriam etiam in vultu ſplendefcentem, ut de pictore miſſo à Rege Abgaro refert Damascenus; ideoque veras Chriſti imagines, qualem peroptabat Auguſta, eſſe *Acheropetas*, id eſt, non manu factas, ut imago Edeſſena, Sudarium Veronicæ, ſacra Sindon, de quorum Imaginum veracitate communem tenemus abſque diſputatione ſententiam. Et quidem etiam Hieronymus in cap. 1x. Matthæi aperte affirmat, quod relucebat in humana Chriſti facie *fulgor*, & *majeſtas divinitatis occulta*. Atque id maxime poſt reſurrectionem contigiſſe dicendum eſt, quando majus fuit habendi Salvatoris imagines deſiderium. Ad tertium reſpondemus non deeſſe gloriam illam prædicationi Evangelicæ, qua non ſpecioſum Chriſtum annuntiamus, ſed crucifixum: quamquam illum complures traſiſſe jucundiſſimo aſpectu ſcribant citato loco Hieronymus, & Bernardus, & confirmari poſſit ex vocatione Apoſtolorum Matthæi 1v. 20. 22. 1x. 9. & Joann. 1. 39. Ad ultimum liquet plura quidem fingi non ſolum Chriſti, verum etiam perſonarum omnium ſimulacra, atque magnam in his eſſe pictorum licentiam, ut recte ait Auguſtinus: ſed nullo pacto poteſt id elevare veritatem Prototyporum.

## C A P U T VI.

An revera Chriſtus dolores expertus fuerit.

### S U M M A R I U M.

1. 2. & 3. Errores hæreticorum.

4. Prænotanda.

5 & 6. Ponitur propoſitio imæ cum probationibus.

R. P. Berti Theol. Tom. V.

7. Propoſitio 2da probatur.

8. Paſſio fuit Chriſto naturalis.

9 & ſeqq. Solvuntur objectiones.

K 2

CHRI-



7.  
Error Saturni.

CHRISTUM nullatenus obnoxium fuisse doloribus affirmarunt Phantasiae supra capite secundo refutati. Hi, ut asserabant Salvatore nostrum in substantia corporis non fuisse, ita dicebant phantasmate passum, quemadmodum refert de Saturnino Tertullianus de Praescript. & de Menandro Theodoretus Epist. 145. Illorum itaque errorem iisdem argumentis, quibus supra usi sumus, facile evertimus. *Si enim hominum opinione tantum passus est Christus, non revera, Herodem opinione tantum eum iudicasse, Pilatum opinione manus abluisse, adjurasse eum opinione Caipham, Judaeos manus ei iniecisse opinione, Apostolos opinione exitisse, sanguinem ejus opinione effusum esse, opinione de caelo descendisse, eoque reversum esse: verbo, totam salvationem hominis opinione factam esse, necesse est.* His plane verbis refellit Marinum quemdam Bardesianum in 1 v. Dialogo Origenes Adamantius. Consimili argumento revincuntur, qui cum Basilide apud Theodoret. libro 1. Haeret. fab. dixere Christi loco passum bajulum Crucis ejus Cyrenaeum, aut cum Mahumetanis Judam Iscariotem.

2.  
Error Aphthartodocitarum.

Aphthartodocitae, de quibus cap. praecedenti, cum assererent Christum Dominum habuisse veram quidem carnem, sed naturam suam incorruptibilem, propterea quod orti ex Eutychiana haeresi, & confundentes duas in Christo naturas opinabantur expertem illum fuisse naturalem humanarumque affectionum, ipsum utique Christum cruci affixum, passum, ac vere mortuum profitebantur, sed in hoc oeconomiam ac miraculum interfuisse, non conditionis naturalis effectum. Horum haeresim describit Tom. v. Concil. Liberatus in Breviario, & Tom. ix. Bib. PP. Leontius Byzantinus libro 2. adversus Eutychianos.

3.  
His sancti Patres non consentiunt.

Distinguenda est accurate à duabus istis damnatis opinionibus sententia aliquorum Patrum, qui tradiderunt opus fuisse miraculo, ut Christus pateretur, atque non fuisse humanae fragilitatis, sed caelestis gratiae sacramentum, si Dominus non esset esurivit, sitivit, semetipsum turbavit, infremuit, & doluit; quod diserte tradit Clem. Alex. in vi. Strom. Maximus Martyr hom. 1. de Jejunio, & Philippus Abbas Praemonstratensis in Epistolis de sententia Hilarii, de quo proximo capite. Profecto hi Patres neque Christum divinitate passum, neque humanam ejus naturam suis proprietatibus expositam affirmavere, sed hanc per unionem hypostaticam adeo roboratam, atque perfectam, ut nonnisi divina acce-

dente virtute subiceretur passioni. Atque in hac sententia, quae nihil habet repugnans Incarnationis mysterio, & nihil adversum Christi doloribus, non reperitur aliquid, iudicio doctissimorum virorum, in fide periculi.

4. Notanda.  
Communior tamen est, & vera sententia, ad quam arbitror cum Magistro in 111. Sent. dist. xv. posse revocari omnia Patrum testimonia, quae videntur contraria, fuisse in Christo passiones, ipsius humanitatis naturae connaturales. Pro qua nonnulla praenotanda sunt partim ex ipso Magistro, partim vero ex Leontio Byzantino de prompta. Magister itaque eo loci distinguit inter *passionem*, & *propassionem*. *Passionem* appellat, dum quis timore, vel tristitia ita afficitur, ut mens inde à rectitudine divellatur; quod contingit in motibus, quos ratio non dirigit, neque cohibet. *Propassionem* vero dicit, quando anima timore, vel tristitia, vel affectu alio movetur, ut inde à rectitudine non declinet, ut evenit in timore, aut tristitia, quae animo non dominatur, nec rationem pervertit. Profert ad hanc rem explicandam Magister insignem locum Hieronymi scribentis in caput xxvi. Mattaei: *Ut veritatem probaret assumpti hominis, vere contristatus est: sed non passio ejus vere dominatur animo; verum propassio est.*

Leontius recte ulterius observat passum Christum dupliciter dici. Uno quidem modo, quod permittente Verbo passio circa carnem acciderit, quia scilicet cum prohibere posset, non prohibuit, & quod cum esset omni peccato superior, voluntarie, non aliqua necessitate, vel debito oppetiit mortem, quae in mundum propter peccatum irruit. Alio modo dicitur Christum passum, quod carnis natura passionis expertis, & immortalis fuerit, ita, ut quod humanitati assumptae non inerat, sponte admiserit, & mors & passio non fuerit ex naturali potentia, & secundum naturam, sed ex divina & supernaturali virtute, ut affirmabant supra citati Aphthartodocitae. His expositis facilis mihi videtur propositae quaestionis resolutio.

PROPOSITIO I. Si accipiatur *passio*, quatenus animum, aut corpus afficit mente reluctante, aut hanc à rectitudine avertit, atque perturbat; nulla passio accidit Salvatore.

Probatur ex Scripturis, ex Patri- Probatur ex bus, ex ratione. Ex Scripturis, quoniam Iaias ait cap. LIII. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et Joannis x. 17. *Ego pono animam.*



*animam meam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipſo. Item Marci xiv. 34. 35. Triftis eſt anima mea uſque ad mortem. Transfer calicem hunc à me, ſed non quod ego volo, ſed quod tu.* Ille ergo non habuit paſſiones, aut ſubrepentes invitis, aut rationem pervertentes, qui ſponte illas ſubiit, atque in ipſa mœroris ac triftitiæ vehementia ſeſe paternæ voluntati ſubjecit. Chriſtus Dominus poteſtate, ac voluntate ſua oblatuſ eſt, & pro ovibus ſuis poſuit animam, petiitque in ipſo agone, ut paterna impleretur voluntas. Ergo non habuit paſſionem, quæ reluctantem afficeret, atque à rectitudine animum removeret. II. Probatur ex Patribus. S. Clemens Alex. in vi. Strom. inquit: *Ipfè autem paſſionis erat expers, ut quem nullus ſubiret motus affectionis, neque voluptas neque dolor.* Hieronymi paulo ſupra aperiſſimum attuli teſtimonium. S. Pater Auguſtinus Tract. xlix. in Joannem: *Quis enim eum poſſet, niſi ſeipſum ipſe turbare? Turbaris tu nolens, turbatus eſt Chriſtus quia voluit. Eſurvit Jeſus, verum eſt, ſed quia voluit: dormivit Jeſus, verum eſt, ſed quia voluit: contriſtatus eſt Jeſus, verum eſt, ſed quia voluit: mortuus eſt Jeſus, verum eſt, ſed quia voluit. In illius poteſtate erat vel ſic affici, vel non affici.* III. Probatur ratione. Motus enim, & affectio deliberationem voluntatis antecedens, eſt peccato non imputetur, vitioſa eſt, & recto ordini, qui inter carnem, ſpiritumque verſatur, repugnat. Non debet ergo admitti in Chriſto prædito ſumma innocentia, ac perfectione ſanctitatis. Deinde ob unionem hypſtaticam anima, & caro Chriſti cum Dei Verbo eſt una perſona, in qua utraque natura ſubſiſtit eadem hypſtaſi, ideoque ob ſummam divinæ ipſius Perſonæ poteſtatem poterat vel exercere divinitatis omnipotentiam, vel exhibere humanitatis inſinitatem. Atque hanc rationem innuit eo loci Auguſtinus ſcribens: *Anima & caro Chriſti cum Verbo Dei una Perſona eſt, unus Chriſtus eſt; ac per hoc ubi ſumma poteſtas eſt, ſecundum voluntatis nūtum tractatur inſirmitas.* Ex quibus animadvertit diſcrimen inter Chriſti, aliorumque hominum paſſionem; quoniam in illo nec potuit paſſio antevertere rationem, nec afficere invitum, nec mentem perturbare, eamque à rectitudine dimovere: ideoque ab aliquibus propaſſio potius, quam paſſio in Chriſto fuit appellata.

6. Contraveni- Si dixeris Chriſtum Dominum exper-  
tur eſugio, tum etiam eſſe animi perturbationem,

dum ait Joan. xii. 27. *Nunc anima mea turbata eſt; Reſpondeo hanc perturbationem fuiſſe mortis horrorem, ſui ipſius deliberata voluntate excitatum, & recto erga Deum ordini conjunctum.* Cum enim tunc diſcipulos ad vitæ contemptum hortaretur, ut exemplo ſuo fierent alacriores, voluit & ipſe mortalitatis noſtræ affectum ſuſcipere; ac ſtatim convertens orationem ad Patrem illis verbis, *Et quid dicam? Pater, ſalvifica me ex hac hora,* docere ſimul, quomodo præponere debeamus divinam voluntatem voluntati humanæ atque inſirmæ. Hinc S. Pater Tract. in Joan. lxi. ait: *Nos in ſe tranſtulit, nos in ſe ſuſcepit, Caput noſtrum membrorum ſuorum ſuſcepit affectum, & ideo ab aliquo non eſt turbatum; ſed ſicut de illo dictum eſt cum Lazarum ſuſcitaret, turbavit ſemetipſum.*

PROPOSITIO II. Accepta paſſione, prout 7.  
præciſe afficit animum, aut ſenſus cor- Propoſitio,  
poris dolore, ac triftitia, Chriſtus ve-  
re, & naturaliter paſſus eſt.

Hanc pariter theſim triplici genere argumentorum demonſtro. I. Ex divinis literis. Legitur enim Pſalmo lxxxvii. 4. *Repleta eſt malis anima mea; quæ verba prolata fuiſſe à Propheta in perſona Chriſti ab inimicis vexati, animadvertit ex Auguſtino Magiſter. Iſaias llii. 4. ait: Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Chriſtus in Evangelio Matthæi xxvi. 38. *Triftis eſt anima mea uſque ad mortem.* Apoſtolus denique ad Hebræos ii. 17. 18. *Debit per omnia fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari.* II. Probatur ex Patribus. Ex Patribus.  
Nam Ambroſius in Lucam cap. xxi. ait: *Triftis videbatur, & triftis erat: & lib. ii. de Fide capite 3. nunc vii. num. 56. Ut homo ergo dubitat, ut homo turbatur. Non turbatur ejus virtus, non turbatur ejus divinitas: ſed turbatur anima ſecundum humanæ fragilitatis aſſumptionem. Et ideo quia ſuſcepit animam, ſuſcepit etiam anima paſſiones.* Hieronymus in caput llii. Iſaiæ: *Vere languores noſtros, & peccata portavit, & pro nobis doluit, non putative, id eſt, diopinatus, ut nova, & vetus hæreſis ſuſpicatur, ſed vere crucifixus eſt, vere doluit.* Libro etiam ii. adverſus Pelagianos inquit: *Salvator in paſſione ab Angelo confortatur; & Critobolus meus non indiget auxilio Dei? S. P. Auguſtinus*



nus in Ps. xciii. *Tristitiam* (inquit) *assumpsit*, quomodo *carnem*: fuit enim *tristis*, sicut *Evangelium* dicit. Nolite *putare non fuisse tristem Dominum*: si enim hoc dixerimus, quia non erat *tristis*, cum *Evangelium* dicit. *Tristis est anima mea usque ad mortem*; ergo quando dicit *Evangelium*, *Dormivit Jesus*, non dormivit *Jesus*: & quando *Evangelium* dicit, *Manducavit Jesus*, non manducavit *Jesus*: subrepsit *vermiculus putredinis*, & nihil sanum relinquet, ut dicatur, *Et jam corpus non erat verum*, & *carnem veram non habuit*. III. Probatur ratione, quam insinuat hoc loco Augustinus, quoniam propter auctoritatem divinarum Scripturarum tenemur credere Incarnationis mysterium; itaque ob eandem auctoritatem debemus tenere veritatem passionis. Deinde proponitur nobis à Principe Apostolorum Epist. 1. cap. 11. 21. Christi passio, ut sequamur vestigia ejus. Ut ergo nos debemus vere crucem tollere, & mortem subire, ita Christus vere crucis supplicium, ac mortem pertulit.

Exratione.

8.  
Passio fuit  
Christo naturali.

Porro hanc passionem fuisse in Christo naturalem, nec repugnantem conditioni humanitatis assumptæ, etsi prohibente Verbo nihil perpessus foret, nec potuissent inimici trahere invitum ad supplicia, facile demonstratur. Contra Eutychianos quidem, quia humana Christi natura non fuit in divinam commutata, neque affirmari potest Christum divinitate passum, ut infra suo loco probabitur. Adversus autem Aphotodocitas demonstratur primo, quia constat ex Scripturis ac Patribus hoc, & superiori capite allatis, Christum ex infirmitate, secundum humana fragilitatis assumptionem, & per naturam hominis crucifixum ac mortuum; non ex virtute, non secundum divinitatis omnipotentiam, non per supernaturalem aliquem in assumptam humanitatem influxum. Postremo si Aphotodocitæ contenderent, captu perdifficile esse, quomodo Christus frueretur visione divinitatis, & tamen potuerit esse obnoxius dolori; aut ob unionem hypostaticam nullam poenam potuisse Christum afficere, nisi volentem, ideoque apparere in Christi passione mirabilem œconomiam, à veritate nullatenus declinarent. At supposita veritate passionis ac libera voluntate patientis, credere dolorem supra naturam, ut Leontius inquit, est velle ignorare, quid carnis sit proprium, & nolle percipere, quod omnis actus supernatu-

ralis est secundum adscensum, & progressum ad melius, non secundum naturalem potentiam, vel depravationem habituum.

Opp. 1. Appellatur Christus Dominus in Scripturis secundus Adam. Sicut ergo Adam in accepta justitia perseverans nulla fuisset affectus animi ægritudine ac poena; ita nulli tristitiæ, ac dolori Christus obnoxius fuit. Resp. 1. retorquendo argumentum. Etenim Adam innocens divina tantum gratia, non proprietate naturali erat immortalis, alioqui non indiguisset ligno vitæ; & ideo permittente Deo Adæ lapsus non fuit illi mors supernaturalis, sed illius naturæ consentanea: atque ita Christi caro mortalis erat, & naturaliter capax dolendi, ac reapse doluit Deo permittente ac volente, cum hac tamen discrepantia, quod mors & passio acciderunt Adamo in poenam peccati, Deo volente ac subtrahente beneficium indebitum; sed Christus passus & mortuus est in peccati remedium, Deo volente debitam satisfactionem, atque exercente indebitam misericordiam. Deinde respondetur negando consequentiam. Nam in hoc Christus Adamo comparatur, quod sicut iste carnalis generationis, ita ille spiritualis auctor est: sed talem carnem sibi Dominus per hypostasim univit, qualem Adam habuit post peccatum, quia non venit ut salvaret hominem innocentem, sed ut redimeret peccatorem; & ideo venit in similitudinem carnis peccati.

Opp. 2. Tradant Patres Christum passionis fuisse expertem, vel quia ejus corpus necessaria non postulabat ministeria, ut inquit in vi. Stom. Clem. Alex. vel quia passio ei dominari non poterat, ut docet in cap. xxvi. Matth. S. Hieronymus: vel quia dicitur in Scripturis timuisse mortem, & fuisse tristatum, quia Ecclesiæ gerebat personam, ut scribit S. Pater Augustinus Exposit. 2. in Ps. xxi. Resp. Clementem Alex. asserere Christum fuisse expertem passionis, cui nos necessitate subicimur, dum non possumus aut famem, aut lassitudinem, aut dolorem expellere nisi subministratione cibi, dormitionis, medicamenti: Hieronymum denegare Christo passionem ita prædominantem animo, ut invitum verberet; & S. Patrem docuisse, quod non timebat Salvator mortem, nisi ut gerebat personam Ecclesiæ, quoniam ipse libera potestate posuit animam, quam Martyres ejus membra vi tormentorum immolarunt.

Opp. 3.



11.  
Obiectio 3.  
cum Re-  
sponse.

Opp. 3. Quæ eveniunt nobis volentibus, nequeunt dolorem & tristitiam afferre. Si ergo Salvator quia voluit oblati, nullum revera mororem, doloremque percepit. Resp. concedo antecedeas, & nego consequentiam. In nobis enim locum habent passiones subrepentes absque libera deliberatione, & excruciantes invitos: quoniam in nostra potestate non est, ut adveniant, ut suscipiantur, ut sensus afficiant. At in Christo fuerunt propassiones sponte plenissimaque electione susceptæ, non dominantes animo, sed ad rationis imperium, ac personæ divinæ permissionem deservientes, ob summam potestatem vel infirmitatem tractandi, vel omnipotentiam exercendi: *Turbatis tu nolens, turbatus est Christus quia voluit*, ait S. Pater Tracta xl. x. in Joannem, & rationem hanc profert: *In illius potestate erat sic, vel sic affici, vel non affici. Verbum enim animam suscepit & carnem, totius hominis sibi coaptans in personæ unitate naturam. Nam & anima Apostoli Verbo illustrata est, anima Petri Verbo illustrata est, anima Pauli & aliorum Apostolorum, ac sanctorum Prophe-*

*tarum Verbo illustrata sunt animæ, sed de nulla dictum est, Verbum caro factum est: de nulla dictum est, Ego & Pater unum sumus. Anima & caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est, ac per hoc, ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas: hoc est, turbavit semetipsum.*

Opp. ultimo. Christus quocunque momento habuit divinitatem hypostatice carni conjunctam; & fruebatur etiam beatitudine & gloria, cum qua tristitia & dolor nequit consistere. Quomodo ergo tristatus est? Resp. non alia ratione tristatus ac passus, nisi ob allatam nuper: nimirum ob summam potestatem exercendi omnipotentiam & infirmitatem tractandi, quemadmodum si nolisset, nulla vis poterat illum flagellis cedere, vulneribus confodere, & occidere; ita permittente ac volente, virtus divinitatis, & gloriæ amplitudo nullum passionis tempore in carne producebant effectum, ut possent illam fustes, verbera, clavi, lancea constringere, laniare, confodere. Sed de hoc argumentum etiam infra.

12.  
Obiectio 4.  
cum response.

## CAPUT VII.

An superiori doctrinæ adversetur sanctus Hilarius Pictaviensis?

### SUMMARIUM.

1. Status questionis.
2. Propositio 1ma demonstratur.
3. 4. & 5. Solvuntur objectiones.

6. Fit Propositio 2da, & probatur usque ad num. 11.
11. & seqq. Solvuntur objectiones.

1.  
Status questionis.

Hucusque producta ad duplex dogma possunt reduci, quorum unum est, fuisse in Christo veram carnem ac nostræ consubstantialem in utero Virginis procreatam: alterum in ipsa carne vere humanis passionibus, libere tamen susceptis, eundem Christum fuisse obnoxium. Quæritur an utramque sententiam tenuerit Hilarius Pictavorum Episcopus. Enimvero in priori dogmate dubiam Hilarii mentem asseruerunt Erasmus, & Scultetus: in secundo autem illum errasse tradiderunt Claudianus Mamertus, Berengarius, & alii apud PP. Benedictinos in Præfatione ad Hilarium; nec non Ferdinandus Vellusillus Q. XXI. in VII. Tomum Augustini, ubi errorem de Christi indolentia, quem probavit aliquando Justinianus, appellat dogma Hilarianum; quamvis nunquam aut Augustus Imperator, aut Aph-

thartodocitarum aliquis attulerit testimonia Hilarii in patrocinium erroris: quod pro sancti Episcopi defensione haud parvum est argumentum. Nos cum Magistro Sententiarum Dist. xv. libri III. aliisque Scholasticis, præsertim D. Thoma, D. Bonaventura, & quos prædicti Patres S. Mauri loco citato commendant, & cum Recentioribus fere omnibus rejicimus, ac refutamus subjectis positionibus sinistram de Hilarii doctrina suspicionem.

PROPOSITIO I. S. Hilarius tribuit Christo verum corpus nostro consub-

stantiale, & ex Mariæ carne susceptum: Demonstratur. Qui fatetur Christum revera originem ducere ex semine Abraham, & ex genere Davidis; conceptum in utero Matris, atque inde assumpsisse corpus nostræ naturæ, is quidem in Christo profitetur verum corpus ex Virgine genera-

2.  
Propositio 1. cum sua demonstratione.



generatum. Hilarius disertissime hæc omnia docuit. Igitur in Christo veram carnem, eamque ex Virgine assumptam professus est. Prob. m. I. Christi ex Abrahamo & Davide originem fatetur Hilarius in Ps. LIX. n. 2. dicens: *Ex Juda, & Moab originem sumens*: in Ps. 67. n. 28. ubi Christum natum appellat, *De Juda frutice*: in Psalm 131. n. 2. scribens, *Nomen sumens ejus* (Davidis) *cujus ex genere sumebat & corpus*. II. Assumpsisse Christum ex Virgine carnem aperte tradit Hilarius in Psalm 65. num. 12. his verbis, *Assumpta ex Virginis carne natura*: in Psal. 118. lit. 14. n. 8. *Natura nostra sibi ex Virgine corpus assumens*: in Psalm 138. n. 2. *Ex utero sanctæ Virginis assumpsit carnem*. III. Eandem Christi carnem esse nostræ substantiali docuit Hilarius lib. ix. de Trinit. n. 7. *Corporis nostri natus homo*: Lib. x. num. 15. *Ad redemptionem animæ nostræ, & corporis nostri perfectus est natus*: Lib. i. n. 13. *Carnem peccati recepit, ut assumptione carnis nostræ delicta donaret*. Hilarius itaque in Christo Domino asseruit veram ex semine Davidis generationem, formatum ex carne Virginis corpus, & carnem nostræ similem: quod erat demonstrandum.

3. **Obijciunt** 1. Oppones 1. Hilarius de Maria Virgine ait lib. x. de Trinit. num. 16. *Non enim ex se corpori Maria originem dedit*. Et lib. 111. num. 15. *Et certe non suscepit quod edidit, sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit*. Libro etiam x. num. 35. Christum vocat habentem corpus *spiritualis conceptionis*. Atqui si Maria non dedit corpori Salvatoris originem, si idem corpus ex elementis non constat, si formatum non est carnali generatione, Christus non habuit veram carnem assumptam ex Virgine. Ergo hanc revera carnem in Christo denegavit Hilarius.

4. **Respondetur**. Resp. explicando Hilarii verba. In priori loco non extant particulae *ex se*, additæ præter fidem Codicum melioris notæ ab Erasmo: imo eodem libro num. 35. legitur: *Genuit etenim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex spiritu*. Deinde corpus Christi divini fuit operis, nec principium habuit naturali virtute ideoque recte dicitur non fuisse, nisi ex spiritu, in quantum spiritus illius corporis origo est, & principium efficiens, ut explicat Hilarius ibidem num. 18. & in Epistola ad Flavianum Leo Magnus. Secundo loco docet productam Christi carnem absque elementorum pudore, id est, *nullo terreni seminis mixto contagio*; ut explicat lib. x. num. 15. & 35. ubi origi-

nem, & elementa declarat esse semen virile. In tertio denique loco vocat conceptionem Christi *spiritalem*, quia Virgo genuit quidem ex se corpus, sed quod conceptum esset ex virtute Spiritus sancti, ut ibidem num. 35. Itaque distinguo minorem, non fuit ex Virgine assumpta Christi caro, si Maria corpori non dedit originem; id est, si non genuit ex se corpus, concedo; si conceptum fuit Spiritus sancti virtute, nego. Distinguo etiam illius propositionis partem alteram, Christi corpus non fuit ex elementis compactum, scilicet genitum fuit absque elementorum pudore, mixtoque seminis contagio, concedo: non fuit ex elementis, ex corporalibus membris, & carnis nostræ natura; nego. Similiter tertiam partem distinguo, conceptio Christi fuit spiritualis, ratione corporis, quod Virgo genuit, nego: ratione virtutis, per quam idem corpus conceptum fuit; concedo minorem, & nego consequentiam.

5. **Obijciunt** 2. & Respond. Opp. 2. Negat Hilarius in Christo originem hominis, affirmatque solam originem similitudinis hominis, scribens lib. x. n. 25. *Hominis habitus est origo, non hominis*. Resp. eo loci hæc tradere Hilarium: *Non fuit habitus ille tanquam hominis, sed ut hominis; neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati, dum est habitus carnis in nativitate est veritate, & similitudo carnis peccati à vitiis humanæ passionis aliena est, &c.* Quare Hilarius negat tantum in Christo originem illam hominis vitio humanæ conceptionis permixtam, unde producit *caro peccati*; non originem à vitio humanæ conceptionis alienam, per quam Christus factus est *in similitudinem carnis peccati*.

6. **Propositio II.** Idem Hilarius non asseruit in Christo hominum Redemptore indolentiam.

7. **Propositio 2.** probatur 1. de Hilarii doctrina et iudicio antiquorum. Attendere quippe in Hilario debemus iudicium de ipsius doctrina Antiquorum, scopum verborum, ac sententiarum in iis locis, quæ obijciuntur, & testimonia alibi expressa. At si ad hæc omnia mentem sedulo convertamus, liquet Hilarium non tenuisse de Christi passionibus falsam opinionem. Non ergo hanc Hilario possumus servata iudicii æquitate affricare. Priorem assumptæ propositionis partem non solum demonstrat argumentum negativum, quod nullus unquam huic additus error, Justiniano Imperante, cum notissima esset, ac celeberrima Hilarii fama, nec ullus ante Claudianum Mamertum, qui floruit circa annum.



num 440. ſiniſtrum protulit de Hilario iudicium; verum etiam poſitiva argumentatio petita ex iis, qui pro Hilario ſcripſerunt, ex Laufranco, Hunaldo, diſſo Thoma, ſancto Bonaventura, Guilelmo Pariſienſi, aliſque Scholaſticis, qui Commentaria ediderunt in Diſt. xv. tertii libri Sententiarum, nec non ex Patribus affirmantibus Hilariana ſcripta poſſe quemque inoffenſo pede decurrere, quemadmodum in Epistoſa ad Lætiam teſtatur Sanctus Hieronymus.

7.  
Prob. 2do.

Partem alteram de ſcopo librorum illorum, qui in controuerſiam trahuntur, ſic probo. Videcur Hilarius omnem triſtitiam & paſſionem à Domino remove- re capite xxxi. in Matthæum, & libro x. de Trinitate. At removet tantum paſſiones à divinitate, non ab humana Chriſti natura, ſi diſputet contra ple- roſque Apollinaritas & Arianos, quo- rum aliqui affirmantes Verbum ſupple- viſſe vicem animæ, aliqui vero opinantes infirmam ipſam Verbi divinitatem, hanc doluiſſe, dum caro figeretur in cruce, im- pie & audaſter aſſeverabant, quemad- modum liquet ex libro v. Theodoret cap. 11. atque ex Romana Synodo ſub Da- maſo celebrata. Et quidem Hilarius ad- verſus hæreticos illos diſputare, ſatis compertum eſt. Citato enim cap. xxxi. in Matth. inquit: *Volunt ex infirmitate corporis ævumnam ſpiritui adbarere, ac ſi Virtutem illam incorruptæ ſubſtantie imbecillitatis ſuæ ſorte aſſumptio carnis infecevit, & æternitas naturam fragili- tatis acceperit. Quæ ſi ad metum triſtis eſt, ſi ad dolorem infirma, ſi ad mortem trepida, jam corruptioni ſubdita erit, & incidet in eam totius infirmitatis affectio.* Ita num. 2. pag. 741. & num. proximo, *Sed eorum omnis hic ſenſus eſt, ut opinen- tur metum mortis in Dei filium incidiſſe, qui aſſerunt non de æternitate eſſe prola- tum, neque de infinitate paternæ ſubſtan- tiæ exitiſſe, ſed ex nullo per eum qui omnia creavit effectum.* Libro pariter x. de Trinit. num. 9. pag. 1041. ſe diſputa- tionem ſuſcipere teſtatur contra præſa- tos Potamii, aliorumque inſignitum Arianorum gregarios, iſta præmittens: *Volunt enim plerique eorum non in natu- ra eum impaſſibilis Dei fuiſſe, ut qui ti- muit, & doluit, non fuerit in ea poteſta- tis ſecuritate, quæ non timet, vel in ea ſpiritus incorruptione, quæ non dolet; ſed inferioris à Deo Patre naturæ, & humane paſſionis trepidaverit metu, & ad corporalis pænæ congemuert atrocita- tem.* Eſt itaque Hilarii ſcopus utroque in loco hos hæreticos, ſive Apollinari- ſtas, ſive Arianos reſellere.

R. P. Berti Theol. Tom. V.

Tertiam partem ſpectantem ad expreſ- ſam de Chriſti paſſione ſententiam loca Probatur 2. proxima evincunt. In Pſalmum LIII. num. 3. ait: *Omnia ſecundum hominem paſſus eſt, & num. 7. Omnia quæ homi- num ſunt & oravit, & paſſus eſt: & ex communi noſtra infirmitate ſalutem ſibi eſt deprecatus à Patre, ut nativitatem noſtram, cum ipſis infirmitatis noſtræ iniſſe intelligeretur officiis.* Hinc illud eſt, quod eſurivit, ſitivit, dormivit, laſſatus fuit, impiorum cæcus fugit, meſtus fuit, flevit, & paſſus & mortuus eſt. Et in Pſ. LIX. num. 6. *Et hæc qui- dem in eum omnia, quæ noſtræ neceſſita- tis ſunt irruerunt; ſed ab eo naturæ ſuæ virtute ſuſcepta ſunt, dum mortem no- ſtram potens non mori, etiam timorem in ſe mortis ingruentem non reſuit.* In Pſalmum pariter LXVIII. num. 1. *Dolet ipſe quidem extra neceſſitatem & timoris poſitus & doloris, ſed his ſe tamen quæ ſuſcepit accomodans.* Hæc aliaque à PP. S. Mauri collecta adeo ſunt manifeſta, ut quidam haud recte de ſententia alibi tra- dita iudicium proferentes appellaverint Hilarii in Pſalmos Commentaria librum illius Retractionis.

Sed in iisdem etiam locis, quæ obje- ctantur, Hilariana doctrina ſatis apparet. Enimvero cap. xxxi. Commentarii in Matthæum, poſteaquam à Chriſto triſti- tiam, mortisque metum ablegaverat, de- monſtrans fuiſſe in illo angorem quem- dam, ac timorem non illatum à morte, quam ſubiret invitus, ſed potius à ſcan- dalo diſcipulorum, & imbecillitate cre- dendum num. 5. inquit: *Sciebat exter- rendos, fugandos, negaturos: metuebat ne ſe Deum abnegarent, quem caſum, & conſputum, & crucifixum eſſent contem- platuri.* Et num. 7. *Totus igitur ſuper his, qui paſſuri evanti metus eſt.* Et num. 10. *Paſſuris diſcipulis per fidei juſtifi- cationem, omnem in ſe corporis noſtri in- firmitatem aſſumpſit, crucique ſecum uni- verſa ea quibus infirmabamur aſſixit. Ideo peccata noſtra portat, & pro nobis dolet: quia fidei in nobis calore fervente, cum adverſum diabolum paſſionis bello ſit decertandum, omnes imbecillitatum no- ſtrarum dolores cum corpore ejus & paſ- ſione moriuntur.* Et ideo tranſire ab eo calix non poteſt, niſi illum bibat; quia pati niſi ex ejus paſſione non poſſumus. Vide pag. 802. & 803. Aperte itaque Hilarius agnoſcit metum, & paſſionem in Chriſto, licet cauſam non repetat ex violenta morte, quæ non poterat in Dei filium incidere, ſed ex hominum ſcele- ribus, ac paſſionibus Martyrum, quam

8.

Probatur 2.

9.  
probatur 4.



ob causam nostram assumpsit infirmitatem.

10. Eadem Hilarius docet lib. x. de Trinit. num. 36. & seqq. usque ad 40. Et postquam hoc libro plura adversus hæreticos referentes dolorem in Christi impatibilem divinitatem disservit, num. 47. ait: *Passus igitur Unigenitus Deus est omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates; sed passus virtute naturæ suæ, ut & virtute naturæ suæ natus est: neque enim cum natus sit, non tenuit omnipotentia suæ in nativitate naturam: & infra, Secundum quod ita ex infirmitate corporis nostri passus in corpore est, ut passiones corporis nostri, corporis sui virtute susciperet, Numero denique 67. Passus quidem est Unigenitus Dei quæ homines pati possunt: sed utamur Apostoli fide, atque dicto, Tradidi enim vobis in primis, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, &c.* Ergo Hilarius negat in Christo passionis necessitatem, & dolorem qui irruerit in naturam divinitatis, sed non passionis sensum veramque tristitiam, ut extrinsecis argumentis, atque ex scopo, apertisque sententiis ejusdem Hilarii hæcenus probatum est.

ARGUMENTATIONES OPPOSITÆ  
DILUUNTUR.

II. Opp. 1. Hilarius omnem à Christo tristitiam removet libro x. de Trinit. num. 10. Interrogo, inquit, eos, qui hoc ita existimant an ratione subsistat ut mori timuerit, qui omnem ab Apostolis timorem mortis apellens ad gloriam sit eos martyrii adhortatus. Et num. 36. ait Christum non fuisse tristem propter mortem, quia ubi propter mortem tristitia est, illic ipsa mors causa tristitiæ est. Rationem vero profert num. 11. his verbis: *Humano enim generi vita mortem aut vis exterior, id est febris, vulneris casus & ruina degrassata in corpus accelerat, aut ipsa natura corporis nostri senio in eam ipsam mortem victa concedit. Unigenitus autem Dei ita potestatem habens ponendæ animæ suæ, &c.* Confirmat idem num. 27. ex virtute miraculorum, dicens: *Anne timuit mori, qui armatis obviis prodit? & in corpore ejus infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina supinatis corporibus conciderunt? &c.* Similia habentur capite xxxi. Comment. in Mat.

12. Resp. distinguendo ant. Removet Hilarius à Christo tristitiam, quæ in impatibilem divinitatem irruerit, aut ex necessitate naturæ dominata sit animo,

concedo. Removet tristitiam irruentem in corporis nostri infirmitatem assumptam, & libera divinæ personæ potestate susceptam, nego. Quamvis ex dictis pateat responsio, eadem ex ipsis, quæ obijciuntur locis collustratur. Itaque Hilarius num. 10. dum ait, *Interrogo eos, &c.* aperte declarat se loqui adversus plerosque hæreticos affirmantes Christum non in natura impassibilis Dei fuisse, ut qui timuit, & doluit non fuerit in ea potestatis securitate, quæ non timet, vel in ea spiritus incorruptione quæ non dolet, sed inferioris à Deo patre naturæ. Negat itaque Christum congemuisse, & doluisse secundum naturam divinitatis, & trepidasse eo metu passionis humanæ, in cujus potestate non est poenæ abjicere atrocitatem. Num. 36. ait non fuisse mortem in Christo causam necessariæ tristitiæ, quoniam in ejus potestate erat animam suam ponere, tristem autem fuisse non negat ea tristitia, quam sponte suscepit causa nostri, atque ut discipulorum suorum imbecillitatem confirmaret; ut supra ostendimus. Similiter num. 11. inter Christum cæterosque homines illud statuit discriminis, quod in nos patiendi necessitate obstrictos febris, vulnera, & senectus irruunt etiam invitos; in Christum vero, qui libere infirmitatem carnis nostræ suscepit, mors eo tantum permittente desæviit. Propterea addidit post verba, quæ obijciuntur: *Quod si ex se mortuus est, & per se spiritum reddidit, non est terror mortis in potestate morientis?* Eodem pacto num. 27. ex Christi omnipotentia, patratique miraculis evincit in eo minime fuisse trepidationem ac terrorem perturbantem, & afficientem invitos; quod his verbis demonstrat: *Quam ergo infirmitatem dominatam hujus corporis credis, cujus tantam habuit Natura virtutem.*

Oppones 2. Eodem libro de Trinitate num. 23. Hilarius aperte in Christo negat omnem sensum doloris. Primo enim ait in Christum irruisse quidem impetum passionis, non poenam, *In quo quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevarer, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent.* Deinde affert exempla aliorum corporum, quæ omni prorsus doloris sensu sunt destituta, dicens: *Ut telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans, omnes quidem hæc passiones naturæ suæ infert, ut foret, ut compungat, ut vulneret; sed naturam suam in hæc passio illata non retinet,*



retinet, dum in natura non est, vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aera vulnerari. Quemadmodum ergo non patitur aut aer, aut ignis, aut aqua, ita Christus nullius passionis sensu affectus est.

14. Respondetur. Resp. hæc quidem difficilia esse, si ab aliis sejuncta legantur, at non si totus liber decimus expendatur: in quo num. 9. scopum suæ disputationis proponit, & refutatis hæreticis, num. 47. & 67. absque ulla ambiguitate concludit Christum ex infirmitate corporis nostri passum in corpore, non quidem ex necessitate, sed libera potestate virtutis. Hilariana verba superius recitavimus. Eandem ergo adhibemus responsionem. Denegat Hilarius in Christo omnem sensum doloris irruentem in divinitatem, & prædominante atrocitate torquentem invitum, concedo: afficientem infirmitatem corporis, & divina permittente virtute inferentem passiones, nego. At inquis in aere, in aqua, in igne dum perforatur, & pungitur, non est natura quæ patitur; igitur nec patibilis natura fuit in Christo. Recte concluderes, nisi Hilarius præmisisset se disputare adversus Hæreticos, qui affirmabant Christi divinitatem fuisse inferioris à Deo Patre naturæ, & humanæ passionis metu trepidasse, & corporalis pœnæ atrocitate congemuisse. Qui hæc tali declaratione præmisit, nec humanæ passionis metum, nec corporalis pœnæ atrocitatem in Christo negavit: sed metum, atque pœnam ad quam trepidaverit & congemuerit divinitatis natura. Itaque argumentationem diluo dicens, quod sicut telum aera compungens, aut vulnerans aquam affert imperum, sed pœnam non infert; ita clavi perforarunt Christi corpus, non tamen intulerunt divinæ naturæ dolorem passionis.

15. Opp. 3. Docuit Hilarius Christum nec passum, nec dolore aliquo affectum fuisse etiam spectata natura, & infirmitate corporis nostri. Defendi ergo ab errore non potest. Probatur antecedens. I. Eodem num. 23. docet, quod etsi passus est Dominus quatenus passio irruit in ejus corpus, tamen ipsa corporis virtus passionem excepit sine aliquo sensu pœnæ: Passus quidem est, inquit, Dominus Jesus Christus dum ceditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur: sed in corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exseruit: dum & penali ministerio deservit, & virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se deservientis excepit. II. Disserte affirmat non habuisse corpus Domini naturam dolendi verbis sequentibus:

R. P. Berti Theol. Tom. V.

Habuerit sane illud Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturam habet, ut calcet undas, & super fluctus eat, & non degravetur ingressu, neque aquæ insistentibus vestigiis cedat, penetret etiam solida, nec clausa domus obstaculis arceatur. Quibus verbis ex corporis Christi perfectione demonstrat habuisse naturam doloris expertem. III. Idem comprobatur ex mirabili corporis Dominici conceptione, subnectens, Quid per naturam humani corporis conceptam ex spiritu carnem judicamus? Caro illa, id est, panis ille de cælis est, & homo ille de Deo est: habens ad patiendum quidem corpus, & passus est, sed naturam non habens ad dolendum. Naturam enim propriam ac suam corpus illud est, quod in cælestem gloriam conformatur in monte: quod tactu suo fugat febres, quod spūto suo format oculos.

Resp. nego antecedens. Atque ad primam probationem dico sanctum Hilarium per virtutem corporis ipsam intelligere impatibilem divinitatem. Ita in Pl. 11. num. 25. inquit: Infirmitas honore est donata virtutis, & in caput 1x. Matth. num. 7. Fragilitatem corporis Virtus assumpsit. Planissima est verborum Hilarii intelligentia: passum Dominum, & in corpus ejus irruisse passionem, sed hanc Virtutem, id est divinitatis naturam absque dolore excepisse. Passus est ergo Deus (inquit in Pl. 53. num. 12.) quia se subjecit voluntarius passioni: sed suscipiens naturales ingruentium in se passionum (quibus dolorem patientibus necesse est inferri) virtutes, ipse tamen à natura sua virtute non excidit, ut doleret. Ad 2. eadem est adhibenda responsio: quippe nomen Naturæ accipit Hilarius pro sola divinitate, quo sensu ait eodem libro x. de Trinit. num. 66. Cum infirmitas esset ex forma servi, & natura maneret ex forma Dei. Christi itaque corpus non habuit naturam dolendi, in quantum Christi natura, id est, divinum Verbum passionem voluntarie suscepit: nec passio illa fuit conditionis generis, ut indemutabilem Dei naturam vis injuriosaurbationis offenderet, inquit in Pl. 111. Idem probant exempla ab Hilario eo loci adducta, quandoquidem Christi corpus habuit naturam, quæ ferebatur in humidis, insisteat in liquidis, & tactu suo mirabilia patrabat, non spectata conditione corporis, sed virtute divinitatis, quemadmodum docet Hilarius lib. vii. de Trinit. num. 36. Ad tertium valet hæc eadem responsio: concepta enim Christi caro de Spiritu sancto,

L 2

& di-

16. Respond.



& divinitati hypostatice conjuncta non habuit naturam ad dolendum, quatenus unita fuit Divinitati impatibili, & Virtuti, quæ corpus assumptum voluntarie

subjecit passioni; ipsam tamen naturam ad dolendum habuit in se spectata. Atque his, si alia occurrunt in Hilario difficultia, commode poterunt explicari.

## CAPUT VIII.

De Christi Domini Anima, atque Intellectu.

## SUMMARIUM.

1. Status questionis.

2. 3. 4. Fit propositio, &amp; demonstratur ex Scripturis, traditione, &amp; argumentis Theologicis.

5. imò eam Apollinarii hæresis infirmatur ab aliquibus Philosophis.

6. Propositio 2da fit, &amp; deducitur ex dictis. 7 &amp; 8. Objectis satisfi.

1. Status Questionis.

**A**RIANORUM plerique, ut ex præcedenti capite inferitur, corpus quidem à Verbo fatebantur assumptum, sed vicem animæ præstasse Divinitatem, quò hanc patibilem, & natura Patris adstruerent inferiorem. Testis est hujus erroris Athanasius de Incarnat. adversus Apollinaristas, Epiphanius de Anaceph. & S. P. Augustinus cap. LV. De Hæresibus. Apollinario tamen error iste præsertim tribuitur, quod revera non fuerit inter Arianos, & Eunomianos communis, Laodicænus autem Antistes illum apertissime propugnaverit. Nam cum anno 362. damnatus est in Synodo Alexandrina, cui interfuerunt Athanasius, & Eusebius Vercellensis, ob præclaram illius existimationem non fuit expresse nominatus: sed proscripta tantum fuit hæresis sub ejus nomine anno 381. in 11. Constantinopolitana Synodo Generali.

Notandum tamen est, quod Apollinaristæ humanam quidem animam Christo denegarunt, sed admiserunt tandem sensitivam, quali gaudent bruta animantia. Sanctus enim Pater Augustinus loc. citato ita illorum hæresim describit: *Apollinaristas Apollinarius instituit, qui de anima Christi à Catholica dissenserunt, dicentes sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse. In questione testimoniis victi mentem, qua rationalis est anima hominis non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum verbum in ea fuisse dixerunt.* Idem docent Athanasius libro contra Apollinarium primo, Cassianus de Christi Incarnat. Vincentius Lirinensis cap. 17. Commonitorii, alique complures. Primum itaque videndum est, an Verbum divinum animam revera assumpserit, deinde an hæc anima mente ac ratione prædita fuerit, an vero mente tantum cælesti atque divina.

2. PROPOSITIO I. Divinum Verbum animam humanam assumpsit.

Demonstratur Scripturis, Traditione, & Theologicis argumentis. Atque in tur Scripturis habetur 1. Joannis x. 15. *Ego*

*pono animam meam pro ovibus meis.* Hanc profecto animam constat non esse Verbum Divinum, quoniam istud eadem Persona est, quæ animam posuit, dum tradidit spiritum, & dum resurrexit, iterum illam sumpsit. Neque dicas accipi hoc loco animam pro vita tantum temporali, ita, ut ponere animam idem sit ac mortem subire; cum enim vita sit animæ in corpore officium, mors autem ejusdem animæ à corpore separatio; idem est posse mori, ac posse animam à carne divelli. Imò, etsi mors contingere aliquando posset absque animi separatione à corpore, dummodo ille vitæ officium, sive intrinsecum, notum subtraheret, quemadmodum asseruit Picus Mirandulanus: adhuc Verbum, quod animam posuit, & reassumpsit, ideoque illam à corpore vivificando pro libitu sejunxit, & revocavit, non anima esset, sed exercens in animam, ejusque officia potestatem. II. Tribuunt Scripturæ Christo passiones animæ, ut Joan. xii. 27. *Nunc anima mea turbata est:* & Matth. xxvi. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem;* nec non desiderium, mœrorem, aliasque passiones, quas supra diximus in impatibilem divinitatem non cadere.

3. Traditio. Traditio etiam Patrum exploratissima est. Athanasius in primo adversus Apollinarium libro ait: *Quomodo tristis, & animo turbatus humanam non habuit animam? Tribuere enim talem sensum materiæ insensibili absurdum, Deo immutabili adscribere blasphemum.* Theodoretus de Hæres. Fab. *Si enim Verbum Deus animam non assumpsit, nec liberare eam, nec gloriam ei parare potuit.* Eandem rationem affert Damasus Papa in Epistola Synodica, in qua hæc Apollinarii hæresim pro-



proſcripſit. S. Pater Auguſtinus Episto-  
la ad Dardanum num. 4. *Profecto cum  
dicis hominem perfectum, totam illic na-  
turam humanam vis intelligi: non eſt  
autem homo perfectus, ſi vel anima carni,  
vel anima ipſi mens humana deſuerit.*  
Cap. 4. de Fide, & Operibus adducit  
ſanctus Pater eandem rationem nuper  
ex Damaſo, & Theodorito productam:  
quam etiam reperies in priori Nazianzeni  
Episto- la ad Cledonium. S. Fulgentius  
in libro de Incarnat. ad Traſimundum  
cap. 14. & ipſe Apollinaris reſellit, ex  
quo anima gravius peccato ſit vulnerata,  
quam corpus, atque iſti dignitate præ-  
cellat. Addit cap. 15. hoc argumen-  
tum, quod tentatis in anima paſſio Chri-  
ſti afferat auxilium, nec in eo quo tenta-  
tus non eſt, tentatis auxilium miniſtret.  
Validiſſimum utique argumentum, ac  
deſumptum ex Episto- la ad Hebræos cap.  
11. v. 17. & 18. Laudatus Athanaſius ci-  
tato libro Apollinarium urget ex Chriſti  
ad Inferos deſcenſu. *Quomodo, inquit,  
affirmabitis celeſtem in Chriſto mentem  
 fuiſſe animæ rationalis partes obeuntem?  
An in duas diſiſum partes corpus ejus di-  
cetis? An alia ejus pars in ſepulchro, alia  
apud inferos extitit? Quomodo fieri po-  
tuit, ut qui animam non haberet, ad in-  
feros deſcenderit? Sufficiat pro reliquis  
omnibus Synodica præcitati Concilii II.  
Conſtantinopolitani, in qua legitur:  
Incorruptam retinemus Incarnationis Do-  
mini doctrinam, nec corpus ejus anima  
ſuaque mente deſtitui, nec Incarnationem  
ejus imperfectam eſſe ſtatuentes.*

4.  
Et Theolo-  
gicis argu-  
mentis.

Ex his Theologicæ argumentationes  
promuntur. Prima quod Chriſtus verus  
homo eſt: at non eſſet, ſi rationali ani-  
ma, quæ hominis eſt pars præcipua, ca-  
reret. Altera quod hominem aſſumpſit,  
ut illum redimeret, eſt autem animarum  
potius, quam corporum Reparator.  
Tertia quod in divinitatem, ut diximus,  
naturæ noſtræ paſſiones, nec mors, nec  
deſcenſus ad inferos, nec reſurrectio à  
mortuis poteſt cadere. Poſtrema, quod  
tribuit animabus in tentatione victoriam,  
ideoque, & ipſe in anima tentatus eſt.

5.  
Aliquorum  
Philosopho-  
rum ſenten-  
tia multum  
inſtingit  
Hæreſin  
Apollinarij.

Obiter nota valere adverſus hæreſim  
Apollinarij ſententiam quoque illorum  
Philosophorum, qui arbitrantur ſolam  
rationalem animam eſſe dolendi, ac ſen-  
tiendi capacem. Etenim Apollinaris,  
cum Orthodoxi ad firmandam Catholi-  
cam doctrinam illos provocarent ad illa  
Salvatoris verba, *Tris ſis anima mea  
uſque ad mortem*, reſpondebant triſtem  
fuiſſe ſentiente animam, & optime corpus

poſſe absque anima rationali pati atque  
ſentire, ut in brutis animantibus con-  
tingit. Vide hanc ipſorum reſponſio-  
nem inter Op. Sancti Athanaſii Dialogo  
14. de Trinitate. Si ergo dixeris nul-  
lam corpoream animam ſentire, ut do-  
cent Philoſophi recentiores, omne hac  
etiam ſententia tollitur Apollinaris  
perſugium. Imo videtur Athanaſius ex  
hac ipſa Recentiorum ſententia hæreti-  
cos reſutare, dum ait: *Quomodo triſtis,  
ſi humanam non habuit animam? Tri-  
buere enim talem ſenſum materiæ inſen-  
ſibili abſurdum.* Et forte ſi daretur  
anima, quæ rationalis non eſſet, & ni-  
hilominus dolorem ſentiret, poſſent  
Apollinaris aliqua arte argumentatio-  
nes iſtiusmodi eludere, ut animadvertit  
Auctor Hiſtoriæ Symboli Apoſt. pag.  
204. Itaque aliis recentiorum Philoſo-  
phorum ratiocinationibus petitis ſive ex  
Scripturis, quæ animantium animam po-  
nunt in ſanguine, Genef. 14. 4. & Deut.  
31. 23. ſive ex motibus animalium à  
ſolo ſpiritu influxu, & organorum  
diſpoſitione pendentibus, ut liquet in  
iis, qui ſunt in homine anima non ad-  
vertente; accedit hæc, qua Athanaſius  
impetit Apollinarium. Verum tamen  
eſt, quod præciſa hac de natura animæ  
quæſtione, admiſſaque plurium anima-  
rum partitione, probatur in Chriſto ani-  
ma rationalis ex ejus paſſionibus, qua-  
tenus fuerunt cum apprehenſione animi  
conjunctæ.

PROPOSITIO II. Aſſumpſit Verbum di-  
vinum etiam humanam mentem atque intellectum. 6.

Sequitur ex dictis. Illa enim anima mente ac ratione prædita eſt, imo à mente atque ratione indiſtincta, quæ apprehendit, quæ perfectum hominem conſtituit, quæ ſubſiſtit etiam à corpore ſeparata. Talem eſſe Chriſti animam ſuperiora argu-  
menta demonſtrant. Itaque mente ac ratione anima Chriſti deſtituta non fuit. Firmatur ex dictis.

SOLVITUR OBJECTIO.

Apollinaris opponunt, quod tum ex Scripturis, cum ex ratione poſſit illo-  
rum hæreſis comprobari. Delineans enim Joannes Evangelista cap. 1. 14. Incarnationem Domini, ait: *Verbum caro factum eſt*, nulla animæ, aut humanæ mentis facta mentione. Proximis ver-  
bis inquit: *Et habitavit in nobis*, demonſtrans ad hoc in mundum veniſſe, ut converſaretur cum hominibus: ad quod ſane neceſſaria non videtur animæ aſſumptio. 7. Obicitur.

L 3



assumptio. Ad quid autem hæc anima? Ut mortem Salvator pateretur? At mors in corpus vim habet, non in animam. Ut descenderet ad inferos? At descendit divinitas, vel persona. Ut miracula pararet? Verum hæc omnipotentia sunt opera. Itaque ut carnem assumeret, habuit Dei Verbum apertam causam habitandi inter homines, & pro hominibus moriendi: ut assumeret etiam animam, causam nullam habuit, præsertim cum posset ipsum Verbum supplere rationalis animæ munera, & facultates.

8.  
Responde-  
tur.

Resp. hæc ex dictis esse soluta. Diximus enim Scripturas non solum Christi carnem commemorare, sed etiam animam, spiritum, naturam humanam, atque hujus proprietates. Joannes ergo cap. 1. *carnem* pro toto homine posuit, ut Gen. vi. 12. Esaia xl. 5. Matth. xxiv. 12. Lucae iiii. 6. & ad Rom. iiii. 20. *Carnem* etiam Joannes commemoravit adversus emergentes hæreses eorum, qui negabant Christum in carne venisse, atque

ut ostenderet fuisse in corpore visibilem, manifestum, atque tractabilem, ut scribit adversus Praxeam Tertullianus. Addit causam alteram Ep. 120. Augustinus, *Ut Christi humilitatem magis ostenderet*. Neque Filius Dei factus est homo tantummodo ut habitaret in nobis, sed ut poneret animam suam, ut peccatores salvos faceret, ut tentaretur per omnia in similitudine absque peccato. Inferitur quidem mors corpori, sed anima recedente, & ratione ipsius animæ divina Persona descendit ad inferos, & resurrexit, quippe, ut ratiocinatur citato loco Athanasius, *neceffe est ab inferis resurrectionis initia repetere, ut perfecta & vera sit resurrectio, solutio nempe à morte, & liberatio spiritus ibi adservati*. Hæc, & alia plurima, cujusmodi sunt affectus omnes humani à Verbo absque mentis perturbatione suscepti, competere nequeunt divinæ naturæ immutabilitati, Ideoque nequit hæc singulas humani spiritus partes explorare.

## C A P U T IX.

De rationalis animæ Christi perfectione, quantum spectat ad mentem, atque intellectum.

### S U M M A R I U M.

1. Status quæstionis.

2. & 3. Fit propositio, & demonstratur variè.

4. 2da propositio multipliciter probatur.

5. 3ia propositio stabilitur.

6. & 7. Fit propositio 4ta & defenditur Augustinus à Roma.

8. & seqq. solvuntur objectiones.

1.  
Status quæ-  
stionis.

**N**ON soli Arianæ exspoliavit Christi animam plenitudine sapientiæ, ut ex illius ignorantia probarent non habuisse summam, perfectissimamque divinitatem, & qui purum hominem illum esse commenti sunt Gnostici, Ebionitæ, Sociniani: verum etiam specialis sectæ quidam hæretici, quos appellaverunt ob perversum istud dogma *Agnocitas*, de quibus Codice ccxxx. Bibliothecæ Photius. Cum obscurioris nominis sint, non alios putandum est fuisse Agnocitas, quam *Corrupticolas*, de quibus egimus supra. Ad horum modo refutationem præmittimus duplicem esse scientiam, divinam scilicet, & humanam: hanc vero aut inditam, qualem habuit Adam; aut acquisitam studio, vel experimento comparatam; aut beatificam, quæ in intuitiva visione Dei sita est. Atque de scientia divina, quoniam à divinitate nequit sejungi, hac alibi demonstrata, ut iterum disceptemus videtur super vacaneum. Quare de humana Christi scientia dicturi, principio adversus Joannem de Ripa in iii. Sent. disput.

xiv. & Hugonem Victorinum in libro de Sapientia Christi, demonstrabimus hanc necessario esse admittendam, neque Salvatorem nostrum sola divina scientia fuisse præditum: deinde vero de scientia Christi acquisita, ac postremo loco de ea, quæ beatorum spirituum propria est, disseremus.

PROPOSITIO I. Præter increatam divinamque scientiam fuit Christus exornatus perfectissima scientia infusa, & creata.

2.  
Propositio 1.

DEMONSTRATUR I. ex vi. Synodo Generali, in qua, ut dicam proximo capite, definitum est duas esse in Christo *notitias impermixtas*, & duas voluntates. II. Probatur ratione. Assumpsit enim Verbum animam rationalem, quæ aut est sua natura substantia cogitans, aut ejus singularis proprietas est cogitare, & percipere. Habuit autem Christi anima omnem perfectionem; ideoque perfectam plenissimamque rerum omnium notitiam. Deinde Christus per intellectionem divinam atque increatam promereri non poterat, divinitas enim merendi incapax est; & consequenter meruit

Demonstratur ex vi. Synodo, & ex ratione.



meruit per intellectionem humanam, & creatam cum humana pariter & creata voluntate conjunctam. Atqui non potuit in merito proficere, ita, ut nova illi perfectio meriti accederet, alioqui imperfectam animam à principio habuisset. Igitur perfecta semper cognitione, perfectaue humana voluntate fuit exornatus. Traditur prior ratio ab Ambrosio de Sacram. cap. 7. à Hieronymo in VII. Isaia, & in Epist. ad Irenæum, ab Aug. in Psalmum 64. & lib. 2. de peccatorum meritis cap. 29.

3. Demonstratur ulterius  
1. ex scripturis.

Hæc argumenta probant fuisse in Christo scientiam, & cognitionem humanam; fuisse autem non solum perfectam, qualis ad merendum requiritur, sed etiam plenam, singularem, & divinitus inditam, demonstratur primo ex Scripturis. II. xi. 2. *Requiescet super eum Spiritus sapientia, & intellectus* Joan. 1. 14. *Plenum gratia, & veritatis.* Ad Coloss. 1. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientia, & scientia absconditi.* II. Probatur ex Patribus. Ambrosius Lib. v. de Fide cap. 18. inquit: *Nihil fuit, quod ignoraverit Dei filius.* Hieronymus ad Damasum: *Plenam habuit scientiam, & certissimam veritatem.* Augustinus loco nuper citato: *Ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis.* III. Firmatur ratione, quam paulo supra produximus, quoniam minime decebat à Verbo animam imperfectam assumi.

2. Ex Patribus.

3. Ex ratione.

4. Propositio 2.

Prob. 1. ex scriptura.

2. Ex Patribus.

3. Ex ratione.

PROPOSITIO II. Fuit in Christo etiam scientia acquisita, & experimentalis. Probatur I. ex Epist. ad Hebræos v. 8. *Cum esset filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Complures etiam Doctores de hac scientia acquisita per praxim, atque experimentum accipiunt ea verba Lucæ 11. ultimo: *Proficiebat sapientia, & ætate.* II. Probatur ex PP. affirmantibus in Christo cum sapientiæ, tum divinitatis manifestationem, atque explicationem, quæ sit rerum efficientia & experimento, ut inquit Orat. 3. contra Arianos S. Athanasius, & lib. 111. contra Nestorium S. Cyrillus. III. Probatur ratione. Hoc discrimen intercedit inter scientiam inditam, & acquisitam, quod illa spectat rerum substantias, atque exhibet veritates, ut relucet in ideis, ac notionibus menti hærentibus, qualem alibi diximus fuisse participationem æternæ lucis principio concessam angelis: scientia autem acquisita spectat veritatis jam perceptæ modum ac determinationem, sive

objectorum præsentiam: unde tradunt Scholastici scientiam infusam nullatenus à phantasmate, sensuumque ministerio pendere, bene tamen acquisitam, atque usu & exercitatione comparatam. At anima Christi sensuum officio ipsaque experientia percepit vitæ suæ decursu objecta præsentia, v. g. patrata à semiracula, discipulorum obedientiam, cogitata, & machinamenta Phariseorum, & quæcunque ab initio per anteceptam notitiam interiori mente prænoverat. Fuit ergo in Christi anima etiam scientia experimentalis & acquisita.

PROPOSITIO III. Fuit in Christo in hac etiam mortali vita scientia Beatorum, viditque adhuc viator divinitatem & gloriam.

5. Propositio 3.

Probatur ex scripturis.

Demonstratur primo ex Scripturis. In his, ut diximus prop. 2. asseritur, Christum fuisse plenum gratia & veritatis, in eoque exitisse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei. Legimus etiam Joannis 1. 18. & 111. 13. ipsum Christum inter nos commorantem affirmasse se in cælis, & in sinu Patris fuisse. Eodem cap. 111. v. 11. testatur Jesus, se annuntiare Trinitatis arcana, quæ noverat ac viderat; atque VIII. 14. demonstrat verum esse testimonium, quod de propria divinitate perhibebat, quia sciebat seipsum. Sed frui divini scientiæ plenitudine, commorari in sinu Patris, ipsum videre, & divinitatem perfecte cognoscere, est habere scientiam Beatorum. Hanc ergo scientiam habuit etiam in hac mortali vita Christi anima. II. Confirmatur ex Patribus. Eusebius Casariensis cap. 21. libri x. Dem. Evang. exponens ea verba Psalmi XXI. *In te projectus sum ex utero,* inquit: *Cum enim adhuc in utero laterem gestantis me Genitricis, te Deum meum intuebar.* S. Pater Augustinus in Pl. xv. ait humanitatem Christi nunquam amisisse hæreditatem, & claritatis notitiam, quæ divinum Verbum erat apud Patrem, priusquam mundus fieret: & quæst. 65. ex LXXXIII. explicans quid significarent linteamina, quæ in monumento inventa sunt, docet fuisse quoddam symbolum carnis, qua non ita spiritus implicabatur, ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret. Libro etiam priori de Peccatorum meritis cap. 31. ait: *Per distantiam divinitatis, & infirmitatis filius Dei manebat in calo, filius hominis ambulabat in terra: per unitatem vero personæ, quæ utraque substantia unus Christus est, & filius Dei ambulabat in terra, & filius hominis manebat in calo.* Fulgentius ad Fegrandum

2. Ex Patribus.



dum Diaconum hæc scribit: *Non existimo illi animæ in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cuius una est Persona cum Verbo: & infra: Ubi spiritus non est ad mensuram datus, necesse est, ut plena sit divinitatis immensa notitia.*

3. Ex ratio-  
ne.

III. Confirmatur ratione, quæ ex dictis fuit, atque traditur in 2. Quodlib. q. 4. ab Egidio: Qui enim plenus est gratiæ & veritatis, qui Spiritus dona non ad mensuram accepit, qui Mediator exitit inter Deum, & homines, qui omnes habuit divini scientiæ thesauros, ita, ut de plenitudine eius omnes accipiant, is profecto destitutus non fuit scientia Beatorum: quisquis enim hac caret, cognoscit ex parte, videt in ænigmate, atque nondum affectus est plenam divinitatis notitiam. At Christus plenus erat omnis gratiæ & veritatis, super eum requiescebat Spiritus sapientiæ, in ipso fons erat aquæ, ac virtutis salientis in vitam æternam, ipse erat veritas, & omnium hominum Præceptor ac mediator. Itaque non ex parte, non per speculum, non in ænigmate, sed facie ad faciem ipsam intuebatur divinitatem.

6. PROPOSITIO IV. Non habuit tamen  
Propositio 4. Christus ut homo scientiam comprehensivam.

Probatur.

Evincitur I. quoniam cognitio comprehensiva, ut alibi demonstratum est, debet non solum divina omnia scrutari, verum etiam singula divinorum attributorum objecta, & creaturas quasque possibiles, ad quod virtus requiritur infinita, qualem nequit habere creatus animus. II. Damnata est sess. 2. Concilii Basileensis, tunc legitimi, & sub legitimo Pontifice constituti, propositio Augustini Romani, & Episcopi Nazareni: *Anima Christi Deum videt tam clare, & intense, quam clare, & intense Deus videt seipsum.* III. Anima Christi sapientiam recepit per spiritum in ipsa habitantem, ut ait Esaias xi. 2. non est autem ipsa Christi anima suamet sapientia, aut Spiritus sapientiæ super eum requiescens. Sapientia autem recepta in animo non omnia comprehendit, sed ipsa subiecti limitatione circumscribitur & finitur.

7.  
Defenditur  
Augustinus  
à Roma.

Augustinus de Roma, cuius nuper meminimus, fuit nostri Ordinis Generalis Antistes, ediditque librum de humana natura Christi, in quo plures asseruit propositiones, inter quas nuper citata, & altera in Indiculo Basileensi prima, *Christus quotidie peccat, & ex quo fuit Christus quotidie peccavit.*

Nemo tamen hunc virum aut hæreticum, aut rudem, aut impium existimet. Nam Synodus Basileensis eo loci declarat nullam à se adversus illius personam proferri sententiam. Ait etiam propositionem nuper prolatam, traditam ab Auctore non referendo peccatum ad ipsam personam Christi, sed ad membra sua, quatenus cum Christo capite unum sunt. Hoc quidem sensu dicebatur Saulus Christum persequi, dum in Christianos sævi-  
ret. Et quemadmodum hæc propositio ab Augustino Romano catholico sensu prolata est, ita etiam reliquæ, quæ videntur continere Anomæorum insaniam, aut hæresim Nestorii, fuerunt ab Auctore enuntiata recta intelligentia, & ratione unionis hypostaticæ, quemadmodum Fulgentius loco citato inquit: *Non existimo illi animæ in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cuius una est persona cum Verbo: quam sic Sapientia suscepit, ut eadem Sapientia ipsa sit.* Ut ergo Fulgentius animæ Christi tribuit eandem sapientiam Verbi, ita Augustinus de Roma tribuit eidem animæ claram, & intensam visionem ipsius Dei, spectata Personæ Verbi, cui anima substantia-  
liter conjuncta est, unitate. At quoniam hujus Scriptoris propositiones talibus verbis conceptæ, & à libello divulgæ falsissimum sensum exhibent, in ipsoque libro nequeunt absque perspicaci acumine distinguui, fuerunt in illa Synodo jure meritoque proscriptæ. Caterum Auctor tam eximia scientia præstabat, ut non solum promeruerit scriptorum omnium laudes, ut in Historica dissertatione demonstrat Gandolfus pag. 74. sed etiam alter Augustinus ob eloquium, & sapientiam fuerit appellatus. Fuit autem moribus & vitæ sanctimonia adeo clarus, ut Beati viri titulum adeptus sit, atque in Templo S. Augustini Prateni Provincia nostræ Pisane religioso cultu, ac summa veneratione asservetur.

#### AD OBJECTIONES RESPONSIO.

Opp. I. Luca 11. ult. legitur, *Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & Objectiones 8. gratia apud Deum, & homines.* Non ergo fuit anima Christi à priori conceptionis instanti perfectâ rerum cognitione exornata, sed quemadmodum ætas, ita sapientia illius suscepit perfectionem atque incrementum. II. Matthæi vii. 10. dicitur Christus Centurionis fidem fuisse admiratum, *Audiens autem Jesus miratus est.* Admiratio autem nequit cum plena sapientia conjungi. III. Christum ignorasse peccata scribit Apostolus in



in 2. ad Corinth. v. 21. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* IV. De ipſo prænuntiatum fuerat ab Iſaia viii. 4. *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam:* quibus ſane verbis commonſtratur ignorantia, communisque cæterorum puerorum miſeria. V. Denique Chriſtus ipſe Marci xiii. 31. proteſtatur eſſe ſe diem iudicii neſcire diceas, *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque Filius, niſi Pater.* His ergo divinarum ſcripturarum teſtimoniis Chriſtum plura ignoraviſſe convincitur.

9.  
Reſpondetur  
ad i. m.

Reſp. Ad primum quod Chriſtus proficiebat ſcientia acquiſita & experimentalis, dum vitam agendo ſenſu animæ, & exercitatione virtutum experiebatur in rerum eventu, quæ ab initio prænovérat mentis intelligentia. Hoc ſenſu videtur mihi accipiendus Ambroſius in libro de Incarnat. Dominicæ Sacramento, ubi ait, quod Chriſtus proficiebat ſapientia hominis. Quamquam enim Magiſter in iiii. diſt. xiii. §. *Ait*, explicat Ambroſium, quod affirmaverit Chriſtum profeciſſe quantum ad viſum hominum & ſui ſenſus offenſionem, uti etiam explanat Velloſillus Adv. in Ambroſ. Q. xiii. cum tamen S. Doctör ſcribat profeciſſe Chriſtum ſapientia humana per incrementum, quo mutabatur in melius, congruum eſt, ut illum de ſcientia experimentalis interpretemur. Atque ita difficultatem non habent, quæ Ambroſius ait: *Deus perfectionem naturæ ſuſcepit humanæ: ſuſcepit ſenſum hominis, ſed non ſenſu carnis fuit inſtutus. Senſu hominis animam dixit conturbatam, ſenſu hominis eſurivit & rogavit, ſenſu hominis profecit, &c.* Recte hac reſponſione verba omnia Ambroſiana ſimul cohærent. Suſcepit enim Deus naturæ humanæ perfectionem, ideoque mentem plena ſcientia exornatam: hæc tamen ſcientia incrementum habuit, & in melius mutata eſt, non quantum ad ſubſtantiam rerum per ſcientiam inſulam perceptarum, ſed quantum ad operum experimentum, & ad objecta in ſe conſiſtentia. Eadem ratione inquit Apoſtolus ad Hæb. v. 8. *Cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam.* Huic autem interpretationi non repugnat altera, quam tradunt complures, in tantum Jeſum profeciſſe ſapientia, in quantum ejus virtus manifeſtabatur hominibus, ut exponunt Gregorius Nazianzenus Orat. xx. Athanaſius in iiii. contra Arianos, & Cyrillus lib. 3. adv. Neſt. laudati ab erudito Theologo H. Tournely de Incarnat.

R. P. Berti Theol. Tom. V.

pag. 358. nec non Gregorius Magnus citatus à Magiſtro, niſi potius ea verba ſint Bedæ; & inſuper Hieronymus, Auguſtinus, Remigius, Damascenus, Theophilactus, quorum verba recitat Velloſillus.

Urgent cavillatores quidam ea verba, coram Deo, dicentes, Ergo Chriſtus re-  
vera proficiebat ſapientia. Alii opponunt comparationem ætatis, ſubinferentes, ſi vere augebatur ætate, vere etiam profectum recipiebat doctrinæ. At hæc eundem ſenſum præſeferunt, id eſt, vere coram Deo, & coram hominibus exercendo humilitatem atque obedientiam virtutum actus animam Chriſti exornabant, atque de ſe optimum ſingulis præbebant experimentum, ut Genef. xxi. 12. ait Deus Abrahamo ad filium immolandum parato, *Nunc cognovi quod times Deum:* & ipſe Jeſus poſt ſanatam à profluſio ſanguinis mulierem dicitur Marci cap. V. 30. cognoviſſe in ſemet ipſo virtutem, quæ exierat de illo: quæ debent, ut liquet, accipi de vera cognitione ſita in rerum experimento. Negari etiam poteſt ea verba ſapientia & ætate referri ad illa, apud Deum, & homines, cum inuſitatum ſit dicere, quempiam proficere apud Deum aut ſapientia, aut ætate: ſed proficiebat Chriſtus apud Deum, & homines gratia, opera nimirum ſpectabilia, & cum Patri, tum hominibus accepta patrando, ut animadvertit Janſenius in hunc locum, & in iiii. Sent. diſt. 13. illuſtris Eſtius.

Eadem ratione fuit in Chriſto admiratio, non quæ ex ignorantia procedit, ſed quæ ad novum & inſolitum objectum ad ſecundam quamvis præviſum, erumpit foras, eo dum pacto, quo Joannis xi. 35. dedit proſuſis lacrymis ſigna triſtitix ob mortem Lazari, quam ſupra verſu 14. præcognoverat, & appropinquans Jeruſolymis item ob futuram deſolationem amare flevit, exteriori ploratu commonſtrans proximam calamitatem. Ob hanc ergo cauſam juſtæ admirationis ſigna dedit cum Centurio ſuam fidem, Matth. viii. 20. patefaceret, & cum patriæ ſux cives, Marci vi. 6. nullum illi exhiberent honorem, ut quiſque perciperet quam eſſet digna laude fides alienigenæ, & quam execranda concivium ſuorum pervicacia.

Ad 3. nihil aliud eſt reſpondendum niſi quod ignorare ſæpe ſapius idem ſignificat ac odio habere, quemadmodum cognoscere eſt idem ac approbare & diligere, ut diximus libro iv. cap. 2. Ita ergo dicitur Dominus ignorare peccatum, quomodo ait Matth. vii. 23. ope-

M

ranti-

10.  
Urgetur  
&  
reſpondetur.

11.  
Reſpondetur  
ad ſecundum.

12.  
Reſpondetur  
ad tertium.



rantibus iniquitatem, *Nunquam novi vos,* & cap. xxv. 12. fatuis virginibus, *Nescio vos,* nimirum, *reprobo ac damno.*

13.  
Respondetur  
ad 4.

Quod profertur ex cap. vii. Esaiæ, de impedimento infantia est accipiendum: non de impedimento illo, quod oritur ex puerili ignorantia, sed de illo, quod procedit ex debilitate membrorum, quæ per ætatem ad animæ officia reduntur aptiora; juxta quem sensum de puerulis, qui reptando incedunt, dicimus, *Nesciunt ambulare,* id est, *nondum valent:* & ideo legitur in Hebræorum Codice, *Antequam sciet puer vocare Patrem mi, & mater mea.*

14.  
Respondetur  
ad 5.

Postremum de ignorantia diei extremæ, quod cæteris est difficilius, solum à nobis est libro vii. cap. 12. quatenus Christus dixit se nescire diem Judicii, in quantum est caput Ecclesiæ, & paternorum consiliorum administer, id est, non ita sciebat, ut expediret diem illum discipulis indicare: quæ responsio vera est, atque ut ibidem diximus, tradita ab Augustino. Etenim soli Patri tribuitur in Evangelio illius diei præscientia, quam tamen etiam divinum Verbum ac Spiritum sanctum habere solus Arianus aut Macedonianus inficias ibit. Verum tamen est nonnullos Patres contra Arium disputantes asserere Christum ut hominem ignorasse revera judicii diem, ut scribunt Eustathius Antiochenus lib. vi. Gregorius Nazianzenus Orat. 36. Hilarius lib. ix. de Trinit. & Athanasius Orat. 4. contra Arianos, quorum verba vide apud Petavium lib. 11. de Trinit. cap. 3. Sed hi possunt explicari, in quantum ignorantia subest humanæ Christi naturæ ex ingenita facultate, & præcise in quantum humana est, non prout est *hypostatice* conjuncta divinitati. Aut si verba aliqua hunc sensum minime patiantur, dicendum erit ob hanc eandem causam, quod Patres illi cum Arianis congrederentur, ne aliò disputationem distraherent, & versutas adversariorum argumentationes facilius contererent, affirmasse quod ex ignoratione ultimæ diei nequeat evinci inferior in Verbo natura, cum, etsi daretur hæc ignorantia, non caderet in divinam Filii mentem, sed in humanam. Suspiciatur præterea Ambrosius lib. v. de Fide cap. 7. abesse à veteribus Codicibus, *neque filius,* quod non adinveniri in pluribus exemplaribus scribit etiam in caput xxiv. Matth. vers. 36. Hieronymus. Verum etsi potuerit hic locus dolo Arianorum corrumpi, certum est ea verba reperiri apud Marcum, atque inde fortassis in Evangelium Mat-

thæi derivata sunt, maxime quod congruentia sint verbis illis utrobique extantibus, *nisi Pater.* Quate ne his ambiguis admodum & invalidis tela Arianorum videremur potius declinare, quam frangere, constitutum nobis fuit priorem tradere responsionem.

Opp. 2. Repugnat scientia Beatorum, quæ in manifesta visione Dei sita est, vi. Obijciuntur, quæ quam Christus ante passionem inter homines egit. Primo namque in hac mortali vita nondum fuisse glorificatum aperte traditur Joan. vii. 39. Deinde vix gloriæ libamina degustasse in transfiguratione, liquet ex Matth. xvi. 2. Præterea tristitia ac mæore maximo affectus est mortem in horto præmeditatus. Apparuit etiam ea occasione Angelus de celo confortans eum, ut habetur xxi. 43. Luca. Clamavit quoque in cruce pendens se à Deo derelictum verbis Psalmi xxi. *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ex his argumentantur: Scientia & cognitio perfecta divinitatis secum trahit animæ glorificationem, corporis immortalitatem atque splendorem, gaudium sempiternum, ac perennem felicitatem. At Christus hæc ante Resurrectionem asseverus non est. Itaque non fruebatur manifesta visione divinitatis.

Resp. cap. Joan. vii. dici Christum nondum glorificatum manifesta in calum ascensione, quemadmodum ibidem ait Joannes nondum fuisse Spiritum datum, quoniam, ut Augustinus exponit Tract. xxxi. in Joan. *antea non apparuerat.* Ut igitur Spiritus absque manifestatione datus jam erat Mariæ, Annæ, Zachariæ cæterisque prophetis, ut ibidem S. Pater demonstrat; ita Christi anima priusquam in corpore glorificato resurgeret, fruebatur beatissima visione divinitatis. Quod autem Salvator in monte Thabor, sive, ut quidam opinantur, in Libano gloriosus apparuerit, & gloriæ Domini sui servierint Moyses, & Elias, potius demonstrat fuisse in Christi potestate, ut gloriæ splendor redundaret in corpus, aut se inde subtraheret. Tristitia morisque sensus arguit quidem in hominum Redemptore assumptam carnis infirmitatem, sed non oppugnat, ut infra dicemus, spiritus beatitudinem. Quæ apud Lucam habentur de sudore Christi sanguineo, & Angeli confirmatione, omitti in nonnullis Græcis, Latinisque Codd. scribunt Hilarius lib. x. de Trinit. & Hieronymus in 11. adversus Pelagianos. Genuina sunt tamen, ac talia habentur ab ipso Hieronymo,

15.  
Respondetur



mo, nec repugnant humanæ infirmitati, in qua voluit Salvator tentari per omnia, ut posset nobis in angustia & tribulatione positus condolere. Extrema morientis verba fuisse hominis cum desperatione luctantis, & etiam ipsa desperatione absorpti, fuit opinio Joannis Feri Ecclesiastæ, ut vocant, Moguntini, aliorumque impiorum hæreticorum. Sed tanta, atque inaudita blasphemia ipsis Christi verbis revincitur. Si enim fiducia in Patrem carebat, cur ad ipsum confugit exclamando, *Deus meus?* inquit adversus Sectarios suos libro 11. Harmoniæ Evangelicæ cap. 9. Gerardus Vossius. Et Grotius in Matthæum demonstrat particulas, *ὁ πατήρ, ὁ υἱός, ὁ ἄγιος*, ut quid, vocem esse deprecantis ex cap. xxxi. 11. Exodi, atque ex Psalmo xi. 1. Accipi eadem significatione hebraicum *אֱלֹהֵינוּ* 2. Regum 11.

22. 2. Paralipp. xxv. 16. Jeremiæ xxvi. 13. Ezech. xxxi. 11. aliisque in locis demonstrat Glassius lib. v. Tract. 2. cap. 5. Atque hos ad confutandos hæreticos arbitror satis esse. Nam ad nostratum eruditionem proponimus Estium in Cap. xxvi. 1. Matth. & in v. Epist. ad Hebræos vers. 7. Itaque agnoscimus in verbis Christi humilem deprecationem una cum experimento voluntatis humanæ.

17. Sed illud accuratius explicandum est, Cum visione unde pendet omnium argumentorum solutio, quomodo cum intuitiva Dei visione potuerit consistere tristitia, deprecatio patientis, & Angelicæ consolationis officium. Canus de locis Theologicis lib. xii. cap. 13. ait, gaudium utique ex Deo viso in voluntate necessario nasci, non secus atque ex sole lumen, & calorem ex igne: sed retraxisse aliquando solem radios suos, id est, in hominum Redemptione perficienda omnem voluptatem fuisse repressam, quam alias ex visione Dei proficisci naturæ ratio demonstrat. Addit Christum licet habuerit essentiam beatitudinis, non tamen habuisse accidentia, quæ inde per se consequuntur. Docet etiam, quod fruitio sine gaudio potest intelligi, quemadmodum fruitur fructibus arboris, qui nullam ex eis capit ob morbum voluptatem. Concludit, quod Christus non solum videbat, sed etiam fruebatur, quamvis derelictus à Deo omnique penitus solatio destitutus non gaudebat. Hæc eloquentis Theologi verbis sunt expressa,

18. Quamquam autem possit hæc sententia in nobis excitare amoris, & grati animi  
R. P. Berti Theol. Tom. V.

mi recordationem, cum anima Christi quidem in pro sua erga nos charitate sponte gaudii nobis amorem. plenitudini renuntiasset, & vindicaretur etiam illa Cani sententia à P. Serry cap. viii. Prologi Galeati, & Exercitatione de Christo xlviii. quibusdam Patrum testimoniis, & etiam Maldonati, Salmeronis, & Gregorii de Valentia consimili expositione: nihilo tamen minus probari mihi non potest, cum fieri nequeat ut voluntas participatione summi boni minime delectetur. Percipere præterea nequeo cur non sit gaudium, ubi amore perfecto bonum incommutabile possidetur, nec assentior frui infirmum arboris suæ fructibus, quando nullam ex iis capit delectationem. Cum enim adest quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat, inquit de Doctrina Christi, lib. 1. cap. 33. Augustinus. Ambrosius autem & Hilarius, ubi docent recessisse ab humana Christi natura irruente morte divinitatem, ita sunt accipiendi, ut Divinitas non adestet ad defensionem, & etiam hoc sensu delectationem subtraheret, quatenus gaudium animæ sese in superiori ratione contineret, neque in sensus diffunderet.

Expedita ergo est magisque in Scholis probata ea sententia, quod anima secundum superiorem rationem, sive quatenus mens divinitati in se inspectæ adhærebat, omni momento fruebatur atque delectabatur; sed prout corporeo sensu recipiebat illatam cruce clavisque passionem, secundum rationem inferiorem, quam *sensualitatem* appellant, afficiebatur dolore; ut explicant in 111. Sent. dist. xv. Scholastici. Hoc autem non repugnare demonstrat eadem dist. S. Thomas, quod gaudium & dolor sint hoc pacto secundum diversam operationem, atque oppositum objectum, & minime ad invicem adversentur. Illis vero qui opponunt perpetuam ac plenam intellectualis potentiæ delectationem ita animam absorbere, ut distrahi non possit, neque affici sensu ullo doloris; respondendum est, quod si persona habeat super omnes animi sui facultates absolutam potestatem, ut habebat Dominus Jesus Christus, quemadmodum pati ac mori potest subtrahendo omnipotentiam suam ne protegat assumptam infirmitatem, ita cohibere potest gaudium in mente, ne diffuset in sensus. Quod nequit in aliis hominibus evenire, propterea quod tali potestate non præditi nec possunt libere irruentem mortem vitare, nec torrentem

19. Aliter tamen rem explicat communis Scholasticorum.



rentem sistere voluptatis. Atque ob-  
plenissimam hanc potestatem Salvator  
humani generis oblatum est, quia ipse vo-  
luit; & quia voluit, sequestravit in su-

periori ratione gaudium supernæ dele-  
ctationis. Legite Tractatum Augustini  
XLIX. in Joannem, & Opp. 3. superio-  
ris Cap. VI.

## CAPUT X.

De Monothelitis, qui negaverunt in Christo distinguendam  
esse divinam, humanamque voluntatem.

### SUMMARIUM.

1. Status questionis.

2. 3. & 4. Antesignanus & fautores Monotheli-  
tarum.

5. Status questionis amplius declaratur.

6. Usque ad 11. probatur dualitas voluntatum in  
Christo.

11 & 12. Probatur naturalitas harum voluntatum.

13. In Christo non est una tantum operatio.

14. & seqq. Solvuntur objectiones.

I.  
Status qua-  
stionis.

**H**ÆRETICI omnes, etiam ante tem-  
pora Heraclii, qui vel unam in Chri-  
sto naturam, sive humanam,  
sive divinam, vel cum divinitate car-  
nem absque anima, vel animam quo-  
que sensitivam, sed mente ac ratio-  
ne destitutam asseruerunt, Ebionitæ ni-  
mirum, Arianorum plures, Apollinari-  
stæ, atque Eutychiani, negarunt in Chri-  
sto Domino duplicem operationem, ac  
voluntatem, ideoque appellari possunt  
Monothelitæ. Ut enim constat ex Epi-  
stola Agathonis ad Constantinum relata  
Act. IV. Synodi sextæ, ex quo in Chri-  
sto una statuatur natura, consequens est  
unicam quoque reperiri voluntatem. Pe-  
culiaris tamen Monothelitarum secta hæ-  
reticorum illorum est, qui duabus in Chri-  
sto naturis admittis, aut expresse saltem  
non denegatis, unam voluntatem, &  
unam operationem in illo constituere  
moliti sunt: cujus sectæ exordia refert  
Maximus Martyr in Dialogo cum Pyr-  
rho, & laudata Synodus Act. XIII. ad  
Conciliabulum Alexandrinum auctore  
Cyro coactum.

2.  
Monotheli-  
tarum Ante-  
signanus  
quis.

Fuit autem Monothelitarum antesigna-  
nus Athanasius quidam Jacobitarum Pa-  
triarcha, Eutychianorum dogmate im-  
butus: qui anno 629. congressum habuit  
cum Heraclio jam circumvento fallaciis  
Pauli hæretici Severiani, atque sensu  
Monothelismi Imperatori instillavit. Is  
consultuit Sergium Constantinopolita-  
num, & Cyrum prius Phasidis, postea  
Alexandriæ Antikitem, corruptusque Ser-  
gius etiam Cyrum illaqueavit. Tum  
Sergius fictis sub Mennæ nomine libellis,  
iisque transmissis ad Theodorum Episco-  
pum Pharanitem, ad Paulum Severianum,  
& ad Georgium Paulianistam callide hæ-  
resim cœpit disseminare. Turbis propte-  
rea excitatis, data ad Honorium episto-  
la omnium dissensionum auctorem fecit

Sophronium sanctissimum Jerosolymo-  
rum Episcopum; sed calumniam denu-  
davit atque expunxit in epistola ad Pe-  
trum Illustrem sanctus Maximus. Tra-  
xit autem ad se idem Sergius quam fa-  
cillime Heraclii animum, tum fama no-  
minis sui, quæ plurimum apud Orienta-  
les percrebuerat, tum specioso titulo  
*unionis* inter utramque Christi naturam,  
tum denique execratione hæresis Nesto-  
rianæ, cui patrocinabatur impense Chof-  
roas Rex Persarum hostis Heraclii in-  
sensibilis.

Heraclius anno Imperii sui 23. Mono-  
thelitis adherens coegit Synodum quam-  
dam Armenam, cui tamen, ne prohibe-  
retur dogma duarum in Christo opera-  
tionum, ac voluntatum obstitit sanctissi-  
mi Præsules Arcadius Archiepi-  
scopus Cypri, Sergius alter Arca-  
dii successor, & Joannes Alexandrinus  
cognomento Eleemosynarius. At Ser-  
gius, defuncto interim Honorio, cujus  
epistolis falso errorem suum comproba-  
ri jactabat, circa annum 630. composuit  
*Echbesim*, sive fidei formulam & exposi-  
tionem, eamque nomine Heraclii vul-  
gatam affixit valvis Ecclesiæ Constanti-  
nopolitanæ, pro cujus approbatione an-  
no 638. etiam Synodalem conventum  
coegit. At Imperator cum audiret de  
hac *Echbesi* universalis Ecclesiæ quarimo-  
nias, in epistola ad Joannem IV. qui  
eandem anno 641. ut Pagius animadver-  
tit, illam proscripsit, contestatus est ean-  
dem *Echbesim* neque à se dictatam fuisse,  
neque suo jussu compositam.

Defuncto Sergio anno 639. Pyrrhus ejus  
successor aliam Pseudosynodum coegit  
pro *Echbesios* confirmatione: sed postea in  
celebri cum Maximo conflictu se plane  
convictum confessus est, atque veniens ad  
limina Apostolorum initio Pontificatus  
Theodori abjuravit Monothelismum;  
quam-

3.  
Heraclius  
adheret Mo-  
nothelitis.

4.  
Aliis hujus  
erroris fau-  
tores.



quamquam rediens ad vomitum ab ipſo Theodoro in Romana Synodo celebrata anno 648. damnatus eſt. Intruſus interea temporis in ſedem Conſtantinopolitanam Paulus patrocinio Imperatoris Conſtantis, compoſuit *Typum*, ſeu Fidei formulam, in qua ſimulato pacis zelo ſilentium circa duplicem voluntatem ſervandam imponebat, depoſita à templi valvis *Eſtheſi*. *Typum* hunc damnavit Martinus in Synodo Lateranenſi celebrata anno 649. Secret. 4. nam Paulus prætextu componendæ diſſenſionis confirmabat doctrinam *Eſtheſi*, atque dogma catholicum evertebat. Hunc *Typum* dictum Conſtantis, quoniam ipſius auctoritate editus fuerat à Paulo, & adverſus Martini Clerique Romani damnationem ab illius Exarchis Theodoro & Olympio ſumma contumacia deſenſatus, Gabriel Vasquez, doctus alioqui Theologus, diſput. 73. cap. 1. ait fuiſſe quemdam Pauli diſcipulum, quem nonnulli confundunt cum *Cypo*, recte ac lepide à Petro Conſtantio viro erudito in Vindic. Vet. Codd. cap. 16. hac ratione reprehensus, quod poſſit eodem jure cenſeri *Eſtheſi* Heraclii quadam Sergii diſcipula, atque ſceleroli *Typi* cognata. His auſpiciis Monotheliſmus diverſas fortunas ſubiit uſque ad generalem Synodum ſextam celebratam anno 680. in qua damnati iterum fuerunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus Conſtantinopolitani, atque plurium ſententia, etiam Honorius Primus: percuſſi quoque anathemate Macarius, Stephanus, & Polychronius adhuc viventes. Delata Concilii Acta, Agathone jam deſuncto, ad Leonem II. is illa confirmavit, atque, ut fertur, dixit Anathema Honorio.

Brevi hac Monotheliſmi notitia præmiſſa, quærimus an in Chriſto admittenda ſit una tantum voluntas, an duplex; & ſi duplex admitti debeat, an duæ in Chriſto voluntates appellari debeant una voluntas *perſonalis*, ut contendebat Macarius. Præterea inquirimus an ſit in Chriſto una tantum operatio, quam Monotheliſtæ appellabant *Theandricam*; id eſt, *Deo-virilem*, opinantes ſolam divinam naturam utpote ſuperiorem agere, humanamque cum ſuis potentiis eſſe illius *organum*, atque instrumentum, & pati quidem ac moveri, ſed omnem operationem eſſe divinitatis. De Honorio item, ejusque damnatione dicendum eſt capite, ne iſtud ſit nimis prolixum, proximori.

6. PROPOSITIO I. Duæ ſunt in Chriſto Domino voluntates.

De voluntate divina aſſentiuntur Monotheliſtæ: & quidem ait ipſe Dominus Lucæ xii. 34. *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti*. Perſpicuum eſt enim, ut ait in diſputatione cum Pyrrho S. Maximus, quod non quatenus homo hoc dixit, ſiquidem recter fuerat factus homo, ſed quatenus Deus, qui varios modos providentiæ ſuæ circa homines demonſtravit, quibus voluit illos ab erroribus abducere, ſibiſque aggregare. Rurſus Joan. v. 21. ait; *Sicut Pater ſuſcitavit mortuos, & vivificat; ſic Filius quos vult vivificat*. Quo in loco ſicut adverbium eſt comparationis inter duas perſonas eandem ſubſtantiam ac voluntatem habentes, quoniam ſolius Dei eſt quibus vult vitam præbere.

Probatur itaque de voluntate humana primo argumentis, quæ ex ſacris literis collegit Agatho Papa in Epiftola ad Conſtantinum, Heraclium, & Tiberium relata in Act. 111. Synodi ſextæ. Chriſtus ut homo Matth. xxvi. 39. ita Patrem precatus eſt, *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, ſive, ut legitur apud Lucam xxi. 42. Non mea voluntas, ſed tua fiat*. Cujus teſtimonii ſententiam S. Ambroſius in 11. libro ad Gratianum, & Comment. in Lucam ita declarat, ut Chriſtus ſuſceperit voluntatem noſtram, quemadmodum ut homo ſuſcepit triſtitiam, atque in ipſo fuerit voluntas hominis temporalis, & voluntas divinitatis æterna. Et S. P. Auguſtinus libro 11. adv. Maximinum Arianum cap. 20. *Ubi autem dixit filius Dei, Verum non quod ego volo, ſed ſicut tu vis, quid te adjuvat quod tua verba ſubjungis, & dicis: Oſtendit vere voluntatem ſuam ſubjectam ſuo Genitori? Quæſi nos negemus hominis voluntatem voluntati Dei debere eſſe ſubjectam; & infra, In eo quod ait, Non quod ego volo, aliud ſe oſtendit voluiſſe, quam Pater, quod niſi humano corde non poteſt. Nunquam enim poſſet immutabilis illa natura quidquam aliud velle, quam Pater. Similiter Athanaſius contra Apollinarem: Duas voluntates hic oſtendit; humanam quidem, quæ eſt carnis, alteram vero divinam. Humana enim propter carnis imbecillitatem reuſat paſſionem; divina autem ejus voluntas eſt prompta. De hac Athanaſii ſententia, recte ibidem Agatho: Quæ declaratione quid poteſt cognosci verius? Videantur ibidem in collectione Hardui-*

Chriſtus habuit voluntatem Divinam.

7. & humana.

Probatur ex S. Scriptura.



ni Tom. 3. alia Patrum testimonia ab Agathone producta, Gregorii Nysseni libro II. contra Eunomium, Joannis Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, Hilarii, & aliorum. Urget etiam Pontifex Christi verba Joan. vi. 38. *Descendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me;* & verba à Davide de Christo prolata Ps. xxxix. 8. *Scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam; Deus meus volui.* In quem locum affert sententiam Leonis scribentis ad Leonem Imperatorem, *Secundum formam servi non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus, qui misit eum.* Atque hæc omnia istam nobis argumentationem suppeditant: Voluntas à Verbo suscepta, temporalis, subiecta Deo, illique obtemperans est voluntas creata, & humana. In Christo fuit voluntas assumpta, & quæ Deo subiecta fuit atque obtemperavit. Fuit itaque humana, & creata voluntas in Christo.

8. Confirmatur  
1. S. Maximus aliud promittit ex Scripturis argumentum in Disputatione cum Pyrrho latine reddita à Turriano viro S. J. clarissimo. Infert autem S. Martyr duplicem in Christo voluntatem ex quo plura in Evangelio facta Christi narrentur humanæ voluntatis signum certissimum. Primum ex porrecto ei in Golgotha vino cum felle mixto, Matth. xxvi. 34. *quod cum gustasset, noluit bibere.* Sicut autem sitire non potuit, nisi per humanitatem, ita hac sola noluit paratum vinum degustare. De ipso pariter in Evangelii scriptum est, *quod volebat in Judæam ambulare, quia querebant eum Judæi interficere, quod ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere,* quod veniens ad discipulos ambulans supra mare volebat præterire eos, quod discipuli eidem dixerint, *Ubi vis, ut euntes paremus tibi comedere Pascha?* ac similia. Sicut enim, inquit Maximus, ambulatio proprietas est carnis, nec divinitas impotens est, neque terminis corporeis intercepta, & comedere Pascha est eorum qui sunt sub lege; ita voluntas ambulandi, sese abscondendi, implendique legem, est voluntas Christi, quatenus erat homo. Atque hæc fusiori stylo à Maximo explicata brevi syllogismo ita positionem nostram confirmant: Voluntas exercendi opera, quæ nequeunt convenire divinitati, est voluntas tantum humana. In Christo fuit voluntas exercendi opera, quæ non congruunt divinitati. Ergo fuit in Christo voluntas humana.

9. Confirmatur 2.  
Tam Maximus, quam Agatho revincunt Monothelitas, etiam ex Christi

morte, atque obedientia, de qua Apostolus ad Philipp. ii. 8. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Et Maximus quidem ita ratiocinatur: Aut volens obedivit, aut non volens. Si non volens, tyrannis, non obedientia dicitur: si volens, fuit itaque in illo voluntas hominis, quatenus enim Deus nec obediens fuit, neque inobediens. Agatho autem, *Quis à lumine veritatis (inquit) se adeo separavit, ut audeat dicere Dominum nostrum Jesum Christum voluntate suæ divinitatis Patri obedisse, cui est æqualis in omnibus, & vult ipse quoque in omnibus quod Pater?* Hinc petitur argumentatio à prima parum absimilis: quippe voluntas obediens voluntas humana est. Fuit in Christo voluntas obediens. Itaque fuit in Christo voluntas humana.

His accedunt Theologicæ argumentationes. Ac prima sit: Humana natura est prædita facultate intelligendi ac volendi. Ex quo Christus assumpsit humanam naturam perfectam, habuit humanam facultatem intelligendi. Igitur habuit etiam humanam facultatem volendi. De hoc argumento plura Sophronius in Synodo Lateranensi Secret. 2. pag. Ven. Edit. 111. Tom. VII. Agatho citata Epistola idem urget argumentum una cum definitione Synodi Chalcedonensis Jesum Christum perfectum esse in divinitate, & perfectum in humanitate; quandoquidem perfecta natura non est, cui deest naturalis proprietas. Proxima est ratio petita ex damnatione hæresis Eutychianæ, de qua infra; nam si propter unionem quæ facta est in hypostasi non salvaretur differentia duplicis voluntatis, ut autumabant Monothelitæ, nec salvari potest differentia duarum naturarum, quam ob eandem rationem, id est, ob unionem factam in hypostasi denegabant Eutychiani. Stat in Christo differentia naturarum juxta confessionem Pyrrhi principio disputationis cum Maximo. Stare igitur debet differentia quoque voluntatum. Vide Tom. VII. Concil. Venetæ Collect. pag. 1176. Accedit argumentum tertium initio ab eodem Maximo propositum: Impium & absurdum est, eandem personam, & eadem voluntate, ante Incarnationem omnia ex nihilo fecisse, continere, & procurare ac salubriter dirigere; & post Incarnationem cibum appetere, loca locis mutare, & omnia alia facere, quæ non nisi temporalia, ac mutabilia esse possunt. Est igitur impium, atque absurdum in Christo unam tantum voluntatem profiteri.

PRO.



11. PROPOSITIO II. *Naturales* appellari debent duæ, quæ in Christo ſunt, voluntates.

Probatur.

Hanc theſim neceſſariam arbitror ad evitandam omnem Monothelitarum fallaciam. Nam quidam cum Macario unam in Chriſto voluntatem *personalem* dicebant, quidam cum Pyrrho unam *gnome*, aut ſententia, quidam alii unam *habitudine* ac modo, quæ omnia eundem errorem olent. At non eſt in Chriſto una voluntas, ſive *personalis* dicatur, ſive una *gnome*, ſive *habitudine*; ſed voluntates duæ *naturales*; quod ſic demonſtro. I. S. Pater Auguſtinus adverſus Julianum laudatus in ſua Epiſtola ab Agathone hac præmiſſa laude, *Sapientiſſimus præco veritatis*, quid ſit voluntas definiſt his verbis: *Motus animæ quid eſt, niſi motus naturæ? Anima enim abſque dubio eſt natura. Quamobrem voluntas eſt motus naturæ, quoniam eſt motus animæ.* Et ruruſus: *Ex illo eſt voluntas; cujuſ eſt voluntas. Ab angelo ſcilicet voluntas angeli: ab homine hominis.* Cur ergo negas clauſis oculis reſ manifeſtas, ex natura hominis enaſci hominis voluntatem? Hinc talis argumetatio depromitur: Naturalis dicendus eſt motus ex anima & natura indita ſibi facultate proficiſcens. Voluntas humana Chriſti eſt motus ex anima, atque ex natura hominis proprietate ac virtute ſua proficiſcens. Igitur voluntas humana Chriſti appellari debet voluntas hominis naturalis. II. In Chriſto Jeſu duas naturas cum Catholicis Monotheliſtæ profitebantur, divinam, & humanam. Divinitas autem non habet, quod ad naturæ rationem attinet, voluntatem humanam, neque humanitas habet naturaliter voluntatem divinam. Eſt ergo voluntas humana naturaliter diverſa à voluntate divina. III. Homo natura ſua eſt rationis particeps, atque libera poteſtatis. Libera poteſtas voluntas eſt. Igitur homo eſt naturæ ſuæ præditus voluntate; ideoque Chriſtus Dominus cum ſit verus homo, habet voluntatem, quæ eſt naturaliter voluntas hominis.

12. Oppugnemus nunc Monothelitarum machinamenta. I. Etiaſi Chriſtus ſit unus ratione hypotheſis ſeu perſonæ, cum duas habeat naturas, dici nequit habere unam voluntatem *personalem*. Si enim propter unitatem perſonæ una dici debeat voluntas, cum in ſancta Trinitate tres ſint perſonæ divinæ, dicendum foret tres exiſtere in Deo *personales* voluntates. Hoc autem, inquit Agatho, eſt maxime alienum ac valde profanum, cum una ſit voluntas, ubi eſt

una natura. Nequit ergo dici propter unitatem hypotheſis una natura *personalis*. Deinde aliud eſt dicere quod ſit in Chriſto una perſona volens & operans, aliud quod ſint duæ voluntates ac duæ operationes: nam unitas operantis ac volentis ſumitur ab unitate perſonæ, quoniam perſona vult, ac perſona operatur; ſed unitas operationis ac voluntatis ſumitur ab unitate naturæ, nam à forma, ut inquirunt ſcholæ, deſumitur viſ, ſeu principium quo elicitivum. Ut ergo propter unitatem Perſonæ appellatur Chriſtus unus volens; ita propter naturarum differentiam debent dici duæ in Chriſto *naturales* voluntates. II. Nequit in Chriſto ſtatui una voluntas *gnome*. Enimvero, aut *gnome* ſubſtantia eſt, aut ſententia. Si eſt ſubſtantia ac natura, cum in Chriſto duæ ſubſtantiae ac naturæ ſint, neceſſe eſt ut duæ ſint juxta *gnomen* voluntates. Si vero *gnome* ſententia eſt, uti agebat Pyrrhus, & quidem ſententia cum conſultatione atque electione; *gnome* aut ipſa voluntas erit; aut quod ex voluntate promanat. Ut ergo nequit dici voluntas una voluntate, aut una motu voluntatis, niſi ubi eſt una natura, ita dici nequit una voluntas *ſententialis*. III. Statui non debet in Chriſto una voluntas ſecundum modum atque *habitudinem*. Talis quippe *habitus* vel afficit ipſam voluntatem, vel perſonam, vel naturas, vel tantum reſpicit objecta. Hoc poſtremum ſi dixeris, debes voluntates complures ſtatueres; ſed hæc habitudo actus multiplicat, non facultates. In divina autem natura ac hypotheſi nulla excogitari poteſt affectio. *Habitus* itaque ſolam naturam humanam poteſt afficere. Non ergo debemus in eadem Perſona, cui ineſt natura humana ac divina, afferere unam *habitudinem* voluntatem.

PROPOSITIO III. Non debet in Chriſto propugnari una duntaxat operatio.

Demonſtratur productis hæcenus argumentis. Ut enim unitas voluntatis, ita unitas operationis unius naturæ argumentum eſt. Ait enim Baſilius contra Eunomium, *Quorum operatio una eſt, eorum eſſentia una eſt*: & contra Damascenus libro 111. de Fide cap. 15. *Quorum enim diverſa natura eſt, eorum eſt diverſa actio*. Adde argumentum S. Martini in Synodo Lat. Secretario 111. Si una eſt operatio illa *Deo-virilis*, quam profitebantur Monotheliſtæ, aut ſimplex eſt, aut compoſita, aut naturalis, aut *personalis*. Non *ſimplex*, aliàs & Deus Pater habebit propriam illam operationem,

13. In Chriſto non eſt una tantum operatio.



nem, & operabitur & ipse operatione illa *Deo-virili*, id est, divino humana. Non *composita*, quoniam Filius esset alienæ à Patre substantiæ, & operationis, non habente Patre operationem illam compositam. Non est *naturalis*, alioqui caro erit consubstantialis Deo Verbo, utpote naturaliter habenti eandem operationem. Non denique una *personalis*, quia persona Verbi non est Patri extranea secundum modum operationis. Non est ergo in Christo operatio divino-humana, quæ sit indivisa, & una tantum. Vide Tom. VII. Concil. Ven. Collectionis pag. 154. Adjiciam alterum argumentum ex Maximo in conflictu cum Pyrrho: Cum naturalia naturis convenire debeant, fieri non potest, ut naturæ creatæ, & quæ cœpit esse, operatio sit non creata, & sine principio, atque infinita, creatrix, & conservatrix: vel naturæ non creatæ & in principio carentis sit operatio creata, & cœpta a terminata, & quæ ab alia natura dissolvi queat & conservetur. Oportet autem ut illa operatio *Deo-virilis* à Monothelitis asserta vel creata sit, vel increata, siquidem nulla penitus cogitari potest intermedia. Igitur si creata dicatur, non erit operatio naturæ principio carentis & infinitæ: si autem increata, non erit operatio naturæ, quæ cœpit esse: ideoque repugnat, quod statuatur in Christo unica operatio *θεανδρική, Deo-virilis*.

## RESPONDETUR MONOTHELITIS.

14.  
Obijciunt  
& responde-  
tur.

Oppones 1. S. Dionysius in Epistola ad Cajum ait: *Deo viro factio, unam quamdam theandricam, seu Dei virilem operationem expressit in vita*. Resp. S. Martinus in Concil. Lat. Secret. III. testimonium Dionysii falsidicos luculenter ostendere Monothelitas, & mentitam esse iniquitatem sibi; lectum enim à Paschasio notario inventum est in Græco haberi, *καὶνὴν τινὰ τὴν θεανδρικήν ἐνέργειαν, novam quamdam theandricam operationem*. Commutavit ergo Cyrus novam in unam. Respondetur 2. cum Maximo Dionysium demonstrare novam atque mirabilem Christi conversationem secundum unionem inexplicabilem & arcanam. Illa autem vox *novæ operationis theandricæ* quadam per numeratas naturas circuitione earundem operationes monstrat. Si enim operatio illa nova ac theandrica foret naturaliter una, cum sint eadem opera Patris & Filii, inspecta natura divinitatis foret in Patre illa eadem operatio theandrica, quod est absurdum atque repugnans.

Opp. 2. Cyrillus Alexandrinus libro IV. in Joannem scribit fuisse in Christo *unam quamdam operationem per ambas naturas*. Resp. S. Cyrillum, non dixisse unam *naturalem* operationem divinitatis Christi, & humanitatis ejus, sed unam operationem divinam, & paternam; intendebat enim demonstrare unam esse divinitatis sine carne, & cum carne operationem, quæ tam Patri, quam Verbo incarnato essentialiter insit: liquidem Verbum etiam post incarnationem habet eandem operationem communem cum Patre incorporee operante, etiamsi Verbum etiam tactu carnis ipsa miracula cum Patre corporaliter operetur. Hæc est responsio Maximi, & aperte quadrans verbis Cyrilli dicentis: *Cum principis Synagoga filium suscitavit, dicens, filia surge, apprehendit manum ejus, ut scriptum est: eam nempe omnipotenti suo jussu ut Deus, & rursus tactu sanctæ carnis vivificando, unam & congenam per hæc ambo ostendit operationem*.

Opp. 3. Humanitas Christi erat instrumentum divinitatis, ut inquit idem Cyrillus in dialogo de Incarnat. & S. Athanasius Orat. IV. contra Arianos. Instrumenti autem, & causæ principalis eadem est operatio. Resp. Eandem esse operationem causæ principalis atque instrumenti, quotiescunque illud aut ejusdem naturæ est cum causâ principe, aut suapte indole est iners, passivum, atque sine propria energia, juxta impressum sibi motum, actioni applicatum. Diversam tamen esse utriusque causæ instrumentalis & principalis operationem cum illud differentiam habet naturæ suæ, neque iners est, ac passivum, sed suamet præditum efficientia. At aiebat Pyrrhus: Nonne quodlibet instrumentum recipit motum ab alia causâ? Patitur ergo, non agit. Respondet S. Maximus operationem ac motum humanitatis dici à Patribus passionem propter rationem ipsi inditam à causâ omnium effectrice; omnia enim, quæ ex Deo sunt, motum subeunt, utpote quæ non sunt ipsa per se motus, aut ipsa per se potestas; appellari tamen etiam proprietatem, quatenus soli illi naturæ, & non aliis inhæret; energiam ac potestatem, in quantum cum divino motu motum exercet proprium, & etiam qualitatem, in quantum est virtus quædam effectrix. Hæc Scholastici explicant distinguendo in eadem humanitate rationem instrumenti, & rationem naturæ: ratio instrumenti dicitur comparate ad divinitatem, ratio naturæ respectu humanarum operationum: ut instrumen-  
tum

16.

Obijciunt 3.  
& responde-  
tur.



tum recipit motum; ut natura exerit motum proprium, atque operatur.

17. Opp. 4. S. Clemens Alex. in vi. Stromatum ſcribit: *Voluntas enim erat ſolius divinitatis*. Reſp. loqui Clementem de ipſa Dominica Incarnatione, quam dicit peractam voluntate ſolius divinitatis, nec fuiſſe opus motus carnalis, ſive ordinis & conſecutionis nuptiarum.

18. Opp. 5. Nequeunt in Chriſto propriari duæ voluntates, aut duæ operationes naturales. Igitur una tantum ſive perſonalis dicatur, ſive ſecundum *habitudinem*, ſive *ſecondum*, ac *Deo-virilis*. Probi. ant. I. quoniam quod eſt naturale, non eſt liberum, ſed neceſſarium; voluntas autem libera poteſtas eſt, & operatio pariter rationalis naturæ libera poteſtate exercetur. II. Si daretur voluntas naturalis, naturale foret omne peccatum, cum nullum peccatum abſque voluntate patiretur. III. Dei ac Sanctorum eadem voluntas eſt, nec tamen eſt eadem natura: conſiſtit itaque una eademque voluntas cum naturarum differentia. Reſp. falſum eſſe antecedens; ad cujus priorem ac proximam probationem dicimus naturale eſſe quidquid naturæ eſt inditum, proprium & concreatum, & naturale etiam appellari quod non eſt in natura intelligente invitum, ut inquit Cyrillus in tercio Capite contra Reprehenſiones Theodoret. Priori itaque ſenſu quod naturale eſt, appellatur neceſſarium, id eſt, antevergens liberam electionem; & ſecundo ſenſu naturale eſt, quod ex proprietate naturæ cum libera electione procedit; cujuſmodi eſt peccatum: quare *homonymiā* fallere ſtudent Monotheliæ. Ad tertium vero reſpondetur unam eſſe voluntatem Dei, & Sanctorum ejus comparate ad id quod volunt, non ad ipſam voluntatem ſubſtantialem, atque effectricem.

19. Opp. 6. Chriſtus eſt una perſona. At operationes perſonarum ſunt, ſive ut fert pervulgatum adagium, *ſuppoſitorum*. Una ergo perſona unam inter operationem: ideoque aut Monotheliſmum profiteri debemus, aut hæreſim Neſtorianam. Reſp. falſam eſſe illationem; nam quo actiones ſint *ſuppoſitorum*, conſequitur unam eſſe perſonam operantem, non unam eſſe operationem perſonæ. Operatur enim qui ſubſiſtit, ſed *ſubſiſtentia* eſt modus exiſtendi, non principium el-

citivum operationis, ut ſupra exemplo ſanctæ Trinitatis demonſtratum eſt.

Opp. ultimo. Si duæ voluntates ſtatuantur in Chriſto, erunt ad invicem contrariæ ac repugnantes; per divinam quippe mortem elegerat, quam humana voluntate refugiebat. Reſp. majorem conſequi ex Monotheliſmo repugnantiam; ſiquidem inde ſequitur eandem voluntatem elegiſſe ſimul mortem, eamque horuiſſe. In Catholicorum autem ſententia fuit in Chriſto voluntas divina mortem præcipiens, voluntas humana divina ſubjecta, & obtemperans, experta tamen affectione ſenſuum horrorem mortis humanitati connaturalem. Neque talis ſenſuum affectio arguit in duplici voluntate contrarietatem; quoniam divina non præceperat mortem abſque ullo dolore ſubeundam; neque poena ita rationem pervertit, ut humana voluntas obtemperaret invita, ſed hæc ſemper præſetulit in infirmitate carnis invictam ſpiritus fortitudinem: quare ait Marci xiv. 38. *Spiritus quidem promptus eſt, caro vero infirma*. His lucem afferent quæ diximus ſub finem Capitis præcedentis.

Sed dices; Ergone abjicimus operationem *Theandricam*, quam deprædicabant Monotheliæ? Reſpondeo *Theandricas* operationes etiam nos appellare; ſed non unam atque indiviſam. Eſt utique Chriſtus Deus homo; & conſequenter omnis ejus operatio *ſecondum*, eo ſenſu quod ſive principium operationis eſſet natura divina, ſive humana, omnis operatio erat *Dei-hominis*. Sed quoniam, ut diximus, nulla operatio proprie dicitur *perſonalis*, ſed appellanda eſt naturalis, illam proprie *Theandricam* operationem vocamus, quæ eſt ab utraque natura efficienter, ut miracula patrata virtute divinitatis, & tactu carnis. Alias omnes appellabimus operationes aut divinas, aut humanas, prout naturaliter ab una, vel altera natura prodierunt; ſic ambulare, dormire, manducare, humana operatio eſt; dare Spiritum ſanctum, & peccata dimittere, operatio divina. At propter unionem hypſtaticam utraque natura ſemper operatur cum altera conjunctim, & humana ſemper ad nutum ac regimen divinitatis; quamquam non eſſet qualibet operatio utriusque naturæ proprietas, vel effectus.

20. Objicit. 7. & Reſpondet.

21. Inſtaur & Reſpondetur



## CAPUT XI.

Quæritur an Honorius Primus adhæserit Monothelitis?

## SUMMARIUM.

1. Status quæstionis.
2. Defensores Honorii.
3. Variæ de Honorii sententiæ opiniones.

4. Usque ad 10. prima propositio cum proba-  
tionibus.
10. Usque ad 24. Solvuntur objectiones.
25. Probatur 2da propositio.

1.  
Status Quæ-  
stionis.

**A**GGREDIMUR quæstionem ob varia Doctorum placita celeberrimam, neque spectantem ad solam Monothelitarum historiam; verum etiam ad Romani Pontificis auctoritatem vindicandam. Præsertim quippe exemplo Honorii, cuius damnationem legimus in VI. Synodo, posse Romanum Episcopum in hæresim cadere, & damnari à Generali Concilio, nituntur probare Magdeburgenses, & Novatores alii communiter. Eodem utuntur Assertores Libertatis Cleri Gallicani, ut propugnent Concilium esse supra Papam. Hinc etiam gestiunt Janseniani, ut defendant posse Pontificem errare in definitione *facti dogmatici*. Oportet autem in hac gravi controversia distinguere quæstionem de Honorii doctrina, an scilicet in Rescriptis ad Sergium Monothelismum probaverit, & quæstionem de lata in ipsum à Synodo VI. sententia excommunicationis, nempe utrum hæc fuerit iure, atque auctoritate prolata.

2.  
Defensores  
Honorii ad-  
struuntur.

Quantum ad priorem quæstionem attinet, habemus innumeros defensores Honorii, Joannem Papam IV. S. Maximum, Anastasium Bibliothecarium, Bellarminum, Baronium, aliosque accurate laudatos ab Antonio Dezallier in Historia Monothelitarum. Ex Nostratibus permulti hoc argumentum pertractarunt, sed præ cæteris Christianus Lupus in dissert. de VI. Synodo, Joannes Laurentius Czepanski in Controv. sæculi VII. & Bernardus Desirant in libro, cui titulus, *Honorius vindicatus*. Is erudite demonstrat aliam fuisse Epistolam Sergii scriptam ad Honorium, aliam vero exhibitam in VI. Synodo; & illam quidem sensu Catholicam, eaque arte conscriptam, ut videretur tantum directa ad penitus extirpandam hæresim Nestorianam atque Euthychianam; ideoque Papa illam probando, etsi male ei cessit, bono Ecclesiæ provide consulebat. At Sergii Epistola in Concilio perfecta aperte Monothelismum tradebat; ac propterea Patres existimantes hanc ab Honorio probari, latente fraude decepti anathema in

ipsum Pontificem intorserunt. Demonstrat id Desirantius exacta Epistolarum omnium, Actuumque Synodaliū collatione; & notas viri docti inseruerunt Tomo IV. Anastasii Bibliothecarii Romanæ Editionis Curatores. Verum si nimiam erga Sergium conniventiam, neque omnino opportunam œconomiam velis in Honorio reprehendere, aut sententiam aliquam non recte expressam, quæ tamen fidem non maculaverit, parum id arbitror præjudicii asserre Apostolicæ Sedis auctoritati.

Circa sententiam in Honorium prolatam variæ sunt Scriptorum opiniones. Nam Pighius censet exemplaria sextæ Synodi fuisse à falsariis corrupta. Anastasius Bibliothecarius in Epistola ad Joannem Diaconum ait Synodum recipiendam esse usque ad prolationem tantummodo canonum. Canus, Combesisus, Petidier inquirunt distinguendum esse in Pontifice quod spectat ad privatam hominis excellentiam, & quod pertinet ad Pontificis dignitatem, sive id quod scribit, ut privatus Doctor, & quod profert ad confirmandam fidem ex Cathedra: prioris generis esse Epistolam Honorii ad Sergium, errori proinde obnoxiam, & iudicio Ecclesiæ subijciendam. Intrusum in Acta VI. Synodi Honorii nomen putant Baronius, Binius, Bellarminus, Frassen, & alii. Errasse præfatam Synodum errore facti, quod ex mala ac sinistra informatione in Pontificem telum contorserit, scribit lib. 2. de Ecclesia Turrecremata, atque posse hoc pacto generale Concilium errare ipse Bellarminus non diffitetur. Damnatum Honorium œconomia quadam ad retundendam Monothelitarum audaciam eoquod ob Honorii erga Sergium comitatem Monothelismus præaltas radices fixerat, innunt præ cæteris noster Lupus dissert. de Syn. VI. cap. 4. Antonius & Franciscus Pagi Sæc. VII. Dezallier in VIII. Scrutinio. Præcipua horum Doctorum momenta producam infra in solutione objectionum,

PRO-



4. PROPOSITIO I. Honorius Primus in ſuis  
Propoſitio I. ad Sergium Epistolis nulla ratione Mo-  
nothelitis adhaeſit.

Probat. 1. Demonstratur. I. ex Epistola Joannis  
Papae ad Constantinum edita à Sirmon-  
do, ubi Pontifex pro Honorio exornans  
Apologiam ait: Secundum hunc igitur  
modum jam dictus decessor noster prae-  
nominato Sergio Patriarchae scripſiſſe dig-  
noſcitur, quia in Salvatore nostro duae vo-  
luntates contrariae, id est, in membris  
ipſius penitus non conſiſtunt, quoniam  
nihil vitii traxit ex praevaricatione pri-  
mi hominis. In nobis enim, non in eo  
cooptatur quod scriptum est, Scio quia  
non habitat in me, id est, in carne mea  
bonum. Et infra. Hinc ergo haec duae con-  
trariae voluntates mentis, & carnis, quas  
Apoſtolus docet, in nostro nequaquam Sal-  
vatore fuerunt, eo quod hic luctuminiſ ſti-  
mulus ex praevaricatione protoplaſti ſump-  
ſit initium, quoniam à Redemptore no-  
stro natura ſuſcepta eſt, non criminis cul-  
pa, Maximus pariter in Epistola ad Ma-  
rianum inquit: Honorium etiam Romanum  
Papam non diſſiteri reor in Chriſto vo-  
luntatum dualitatem in Epistola quam  
ſcripſit ad Sergium, eo quod unam dixe-  
rit voluntatem; ſed potius conſiteri, &  
hanc fortaiſſis etiam conſtabilire. Nam  
hoc non in reprobationem dixit humane  
Salvatoris, & naturalis voluntatis: ſed  
quod nullatenus conceptionem ejus, quae  
fuit ſine ſemine, vel incorruptam nativi-  
tatem praeeſſerit voluntas carnis vel co-  
gitatio vitioſa. Et rurus: Per id vero,  
quod ait non eſſe voluntatis ejus diverſi-  
tatem, contrarium vel repugnans quid  
non eum habere perhibet, ſed conveniens,  
& proſus unitum ex toto. Unde cum  
noſtram quidem naturam de divinitatis  
voluntate dicit aſſumptam, unius mentio-  
nem facit. Illud autem quod introducit,  
Non vero facere voluntatem meam, in  
medium verbo praepoſit omiſſo numero.  
Non ſunt, inquit, haec diverſa volunta-  
tis, id eſt, contrariae atque adverſatri-  
cis. Ex quo duas ſecundum naturam exi-  
ſtere in Salvatore voluntates manifeſte  
colligitur. Si enim contrariam non ha-  
buit, naturalem habuit tanquam homo.  
Idem Maximus in diſputatione cum Pyr-  
rho Epistolam Honorii obſciciente, in-  
quit: Quis fuerit fide, & auctoritate  
dignus Epistola hujus interpres, qui eam  
ex perſona Honorii ſcripſit, adhuc ſuper-  
ſes, & qui totum Occidentem cum aliis  
virtutibus, tum dogmatibus fidei Chriſtia-  
nae illustravit, an ii, qui Conſtantinopo-  
li, quae ex corde erant, loquebantur? Et  
ſatente Pyrro majore fide eſſe dignum,  
R. P. Berti Theol. Tom. V.

qui Epistolam Honorii composuit, nem-  
pe Joannes, ſubdit Maximus: Is igitur  
ipſe, cum ad Deum Conſtantinum Im-  
peratorem ex perſona S. Papae Joannis de  
hac Epistola ſcriberet, dixit, unam vo-  
luntatem dicimus in Domino, non divi-  
nitatis ejus, & humanitatis, ſed huma-  
nitatis ſolius. Cum enim Sergius ſcri-  
pſiſſet, quod quidam duas voluntates in  
Chriſto contrarias dicerent, diximus Chri-  
ſtum non duas voluntates contrarias ha-  
buiſſe, carnis, inquam, & ſpiritus, ſicut  
nos habemus poſt peccatum, ſed unam  
tantum, quae humanitatem ejus ſigni-  
ficabat.

Hinc pro deſenſione Honorii validiſ-  
ſimum argumentum depromo. Dum  
ait Honorius admittendas non eſſe in  
Chriſto duas voluntates, ex teſtimonio  
Secretarii ejus, qui conſcripſit Reſponſa  
ad Sergium, & literis mandavit ſenſum  
doctrinaeque Pontificis, cui proculdu-  
bio major adhibenda eſt fides, quam  
Graecis Conſtantinopoli commorantibus,  
& maxime Monotheliſmo infectis, qua-  
les fuerunt qui Patribus VI. Synodi ex-  
hibuerunt Honorii Epistolam in Graecum  
à ſe ipſis converſas, docuit tantummo-  
do non fuiſſe in Chriſto voluntatem re-  
pugnantem rationi, ſive luſtam concu-  
piſcentiae ex peccato originalis proma-  
nantis, ſed naturalem voluntatem, quae  
naturae humanae proprietates eſt, minime  
denegavit, ſed potius conſtabilivit. Qui  
autem in Chriſto negat ſolum volunta-  
tem repugnantem rationi, quae eſt lex  
membrorum derivata ex propagatione  
peccati, propugnatque naturalem volun-  
tatem ex humana natura prodeuntem, ni-  
hil habet cum errore Monothelitarum  
affinitatis. Igitur Honorius nequaquam  
ipſis Monothelitis adhaeſit.

Huic argumento tam inviſtis teſtimo-  
niis firmato, ut Pyrrhus recitatis à Ma-  
ximo verbis Joannis penitus obmutue-  
rit, addamus alterum ex Honorii Episto-  
lis depromendum. In priore Epistola ad  
Sergium relata Act. XII. Synodi VI. in-  
quit Pontifex, Unde & unam voluntatem  
ſatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti, quia  
profecto divinitate aſſumpta eſt noſtra na-  
tura, non culpa; illa profecto, quae ante  
peccatum creata eſt, non quae poſt prae-  
varicationem vitata. Ait deinde abſtinen-  
dum eſſe à vocabulo unius, aut geminae  
operationis hanc rationem proferens,  
Ne parvuli aut duarum operationum vo-  
cabulo offenſi ſectantes Neſtorianos nos  
veſana ſapere arbitrentur; aut certe ſi  
rurus unam operationem Domini noſtri  
Jeſu Chriſti ſatendam eſſe cenſuerimus,  
ſultam

5.  
Probat. 2.

6.  
Probat. 3.



*stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.* In fine Epistolæ hortatur, *Ut unius vel geminae vocis inductum operationis vocabulum aufugientes unum nobiscum Dominum Jesum Christum filium Dei vivi Deum verissimum in duabus naturis operatum divinitus, atque humanitus fide orthodoxa, & unitate catholica prædicetis.* Ex prioribus verbis apparet veram esse interpretationem Joannis iv. & Maximi Martyris, de qua supra; nimirum Honorium statuisse unam voluntatem humanitatis, rejiciens voluntatem contrariam ortam ex luctamine carnis. Ex verbis secundo loco recitatis, liquet Papam noluisse admittere duas operationes in sensu Nestorii, neque unam operationem in sensu Eutychetis, quod audierit à Sergio horum hæreses iterum fuscitari. Ex postremis constat Honorium asserere Unum operantem, sed operantem divinitus, & humanitus. Itaque sancta Pontificis intentio fuit omnem aditum præcludere Nestorianis, & Eutychianis, & contra illos negare duas operationes personales, contra istos negare unam operationem naturalem, ratus propterea reticendum esse vocabulum unius, vel geminae operationis: unius, ne quis inferret unam esse in Christo naturam: geminae, ne quis putaret duas esse in Christo personas; execratus perniciosas hæreses jam pervulgatas, & ignorans novam, ac tunc primo serpentem. Eadem Pontificis intentio apparet ex altera Epistola relata Act. xi. Synodi vi. ubi ait, *Auferentes scandalum novellæ adinventio- nis, non nos oportet unam, vel duas operationes definientes prædicare; sed pro una, quam quidam dicunt operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri: & pro duabus operationibus ablato geminae operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est, divinitatis, & carnis assumptæ in una Persona unigeniti Dei patris, inconfuso, indivise, atque inconvertibiliter nobiscum prædicare propria operantes.* In his patet Honorium, quamquam iterum prohibet vocabulum uniusaut geminae operationis, aperte tradere Verbum in duabus naturis operari, atque duas ipsas naturas esse in una persona, quæ propria utrique sunt operantes.

7. *Fabricatur ex his consequens argu-  
mentum. Non debet Monothelitis ad-  
numerari, qui duntaxat in Christo dene-  
gat voluntatem carnis cum ratione pu-*

*gnantem: qui prohibet ne admittantur  
geminae operationes in sensu Nestorii,  
id est, à duabus personis elicita; aut una  
operatio in sensu Eutychetis, scilicet, ab  
una natura prodians, qui denique profi-  
tetur unum esse operantem ratione hy-  
postasis, sed operari in duabus naturis,  
& ipsas duas naturas in unitate personæ  
operari sibi propria, ideoque naturam  
humanam non esse organum tantum vel  
instrumentum divinitatis, neque moveri  
ac pati duntaxat, quemadmodum Mo-  
nothelitæ affirmabant, sed exequi reve-  
ra operationes humanas. Atqui Hono-  
rius hæc omnia apertissime tradidit. Igi-  
tur Honorius non debet Monothelitis  
adnumerari.*

Proferam tertium argumentum etiam  
præcedentibus robustius, quod erudite  
versat Dezallier. Macharius Monothe-  
lita Act. 2. Synodi vi. affirmavit suam  
de una operatione sententiam fuisse de-  
finitam à Synodò Chalcedonensi. Tunc  
Antiochus Notarius Synodi protulit li-  
brum Chalcedonensis Concilii, ac per-  
lecta fuit Epistola S. Leonis Papæ ibidem  
inserta ac probata, & recitatus hujus-  
modi Leonis textus: *Agit enim utraque  
forma cum alterius communione, quod  
proprium habuit: Verbo quidem operan-  
te quod Verbi est, carne autem exequen-  
te quod carnis est; & horum unum coru-  
scat miraculis, aliud vero succumbit in-  
juriis.* Hoc textu recitato exsurgentes  
Apostolicæ Sedis legati exclamarunt:  
*Ecce, benignissime Domine, manifeste  
duas naturales operationes, inconfuse, &  
indivise in Domino nostro Jesu Christo  
præsens sanctissimus prædicat Pater.* At-  
que his annuit Synodus universa, Ho-  
noriū Papa in 2. Epistola paulo ante ver-  
ba superius citata ait: *Quantum ad dogma  
Ecclesiasticum pertinet, utrasque naturas  
in uno Christo unitate naturali copula-  
tas cum alterius communione operantes,  
atque operatrices confiteri debemus, &  
divinam quidem, quæ Dei sunt operan-  
tem, & humanam, quæ carnis sunt exe-  
quentem, non divise, neque confuse, aut  
inconvertibiliter Dei naturam in homi-  
ne, & nec humanam in Deum conversam  
edocentes.* Conferas Honorii, ac Leo-  
nis verba, & nihil in uno adinvenies,  
quod non sit eadem prorsus ratione ex-  
pressum in altero. Omnino consimilia  
sunt verba Agathonis in Epistola adver-  
sus Monothelitas.

Argumentum, quod hinc eruitur, est  
hujusmodi. S. Leo Papa accensendus  
non

8.  
Confirm. 2.

9.  
Confirm. 3.



non est Monothelitis, & manifeste duas in Christo operationes asseruit; quoniam ait utramque formam agere in Christo quod proprium habet, cum alterius tamen communione, inconfuse, & indivise, quia una natura est alteri hypostatice conjuncta. Atqui hoc idem scribit Honorius; igitur Monothelitis nec Honorius connumerandus est, duasque in Christo naturales operationes manifeste propugnat: conveniunt enim verba verbis, & sententiæ sententiis. Neque dicas, quomodo propugnat quod prohibet confiteri? Nam dixi prohibere vocabulum geminæ operationis in sensu Nestorii, inquantum videbatur parvulis atque imperitis per illud duas in Christo statui personas. Neque repugnat idem vocabulum juxta diversum sensum rejici, ac probari. *Homoousion* quippe minime recipit Synodus Antiochena damnans Samosatenses, & consecravit Nicæna contra Arianos: *Unum è Trinitate passum* in sensu Eutychianorum noluit asserere Hormisdas, quod in sensu Catholico definierunt Joannes II. Vigilius; & v. Synodus *Deipara* nomen contra Eutychetem satius duxit reticendum, etiam si contra Nestorium jure merito fuerat receptum. Itaque geminam operationem noluit Honorius pronuntiare adversus Nestorianos, quam minime reprobasset in sensu Catholicorum.

RESPONDETUR ADVERSARIIS.

10.  
Obijciunt t.  
& responde-  
tur.

Opp. 1. Honorius unam in Christo voluntatem propugnavit; inquit enim, *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi*. Respond. Honorium appellare unam voluntatem Christi per exclusionem duplicis voluntatis humanæ, quarum una sit voluntas spiritus, altera carnis, & repugnans rationi; non per exclusionem duplicis voluntatis divinæ, & humanæ. Liqueat hæc responsio ex productis Joannis Papæ, & Maximi testimoniis, necnon ex ipso Epistolæ Honorii contextu. Post illa enim verba, statim ait: *Quia profecto divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, &c.* Quid enim ex ista causali legitime inferatur? nisi istud tantum, non ergo habuit Christus stimulum luctaminis, & quod habitat in carne peccatum, voluntatem scilicet abreptam à sensibus, atque adversus spiritum incitatam. Hac itaque vera, firmissimæque responsione prior illa argumentatio refellitur. Præterea probabilitate non caret, quod in Epistola Honorii *novam* scriptum fuerit, non

*unam*; ac falsarios Monothelitas Epistolam corrupisse. Nam adulterasse confirmata Dionysii verba diximus capite præcedenti, & videtur Honorius eadem Dionysii sensu usurpasse. Neque sola ducimur, quæ plerumque fallit, conjectura, sed etiam ratione constanti. Primo namque prohibet Honorius in utraque epistola unius, vel geminæ operationis vocabulum, ideoque unius etiam vel geminæ voluntatis: neque credibile est illum asserere, quod ne alii pronuntient tam stricte mandat. Monothelitæ erga depravatis verbis Honorii illum tanquam virum inconstantem, qualem habuit Constantinus Pogonatus, temere traduxerunt. Sed accedit firmitior ratio. Enimvero cum Romæ Constantinopolim profectus esset Anastasius Abbas, ut scribit Maximus in Epistola ad Marinum, contestatus est, *Eum, qui hanc Epistolam per jussionem Honorii latinis dictaverat dictionibus, Dominum videlicet Abbatem Joannem sanctissimum Symponum, affirmasse, quod nullo modo mentionem in ea per numerum fecerit unius omnimodis voluntatis, licet nunc hoc sit fictum ab iis, qui hanc in græcam vocem interpretati sunt.*

Opp. 2. Monothelitæ affirmabant unum Dominum Jesum Christum omnia fuisse operatum media humanitate. Atque hoc idem scripsit Honorius iis verbis, *Constitentes Dominum Jesum Christum Mediatorem Dei & hominum operatum divina media humanitate Verbo Dei naturaliter unita*. Respondeo omnes Catholicos profiteri, quod Verbum incarnatum operabatur etiam divina conjunctim, & media humanitate, ob communionem utriusque naturæ & hypostaticam unionem. Hæresis Monothelitarum in hoc sita est, quod vellent omnia Christi opera initium habere à divinitate, tanquam à principio proximo, & naturali, ac humanitatem moveri tantum & pati, neque alio pacto esse in qualibet operatione *cooperariam*, nisi ut organum & instrumentum, non ut naturam exequentem quæ sua sunt. Hanc esse Monothelitarum doctrinam constat ex Pyrrho in disput. cum Maximo, ex Theodoro Pharanitano in Secret. III. Synodi Lateranensis & ex Macario in Act. viii. Synodi Sextæ. Satis de his actum disputatione præcedenti. Porro Honorius non ita de Christi humanitate locutus est: sed ait utrasque naturas in uno Christo naturali unitate copulatas esse operantes, & operatrices. Ait divi-

11.  
Obijciunt 2.  
& respon-  
detur.



nam naturam operari, quæ Dei sunt. Ait naturam humanam, quæ sunt carnis fuisse executam. Ubi ergo inquit unum operatorem Dominum nostrum Jesum Christum fuisse divina operatum media humanitate, non excludit operationem humanitatis, neque huic tribuit tantummodo passionem, uti fecerunt Monothelitæ.

12. **Opp. 3.** Honorius dum negat in Christo duas voluntates contrarias, nihil ait, & respondetur.

quoque quod Macarius in Confessione fidei suæ recitata in Aët. viii. Synodi vi. Aut ergo Macarius Monothelita non est, aut est etiam Honorius. Resp. non deesse qui putent Macarium damnatum fuisse ob perviciam, animumque protervum, quod nunquam voluerit admittere vocabulum geminæ voluntatis, aut operationis, etiam si in re parum à catholico dogmate recederet. At Honorius, si adhuc latentem sensum Monothelitæ percipisset; nec Sergius tantum ostentasset zelum præfocandi germina iterum erumpentia hæresis Nestorianæ, nequaquam vocabulum illud repudiasset, cum duas naturas operantes sibi propria manifeste confiteatur. Verum negandum est quod Confessio Macarii cum Epistola Honorii conveniat: ubi enim ille explodit voluntates contrarias, etiam negat humanam naturam exequi quæ carnis sunt, tradens fuisse duntaxat *mobilem ac motum, eique tribuendam esse solam passionem, totam denique conspersio- nem nostram adimpleri una & singulari voluntate divina*. Omnia ipsius Macarii verbis sunt contracte explicata. Miror autem Jueninum Tom. iv. Instit. pag. 198. & nonnullos alios asserere, quod Honorius negans in Christo duas voluntates contrarias minime attenderit ad voluntatem quæ in nobis est post peccatum, cum habeamus irrefragabile testimonium Joannis productum supra in primo argumento, & contextum ipsius Honorii allatum in argumento secundo.

13. **Opp. 4.** Iisdem prorsus verbis ac sententiis constant Epistolæ Honorii, & Epistolæ Sergii ad ipsum Honorium, ad Cyrum, & ad Sophronium. Si ergo Sergius Monothelita est; est jure eodem Honorius. Resp. plura quidem simul à Catholicis atque ab hæreticis interdum proferri, atque, ne ab hac quæstione digrediar, tam Monothelitas quam Honorium affirmasse Verum *inconvertibiliter, & inconfuse* fuisse operatum, contrariam non habuisse voluntatem, divi-

namque naturam mediâ humanâ quæ Dei erant perfecisse, atque similia his quamplura; sed Honorius confitetur utrasque naturas operantes, atque operatrices, neque ait humanitatem esse duntaxat organum motum & mobile, quod Sergius caterique Monothelitæ tradiderunt. Sergius præterea Dorensem Episcopum, aliosque Catholicos dire vexando prodidit silentii sui iniquissimam causam. Addo cum Desirantio Epistolam Sergii ad Honorium non continere aperte Monothelismum, & longe esse diversam ab illa, quæ in sexta Synodò fuit producta, atque ab iis, quæ ad Cyrum & Sophronium fuerunt conscriptæ: immo epistolam illam etiam ut legitur in actis vi. Synodi in se inspectam, & ab aliis Sergii Epistolis sejunctam, ab hæresi posse purgari propugnat differt. xxvii. suarum Prælectionum eloquentissimus Platina.

14. **Opp. 5.** In Typo Constantis edito à Paulo Monothelita tantummodo prohibebatur, ne una, vel duplex in Christo prædicaretur operatio. Cum itaque idem in suis Epistolis Honorius præstiterit, sunt illæ simul cum Typo damnandæ. Resp. esse revera complures, qui hoc in Honorio reprehendunt, quod nimium indulgens Sergio, & pacis studio jubens ne veritas prædicaretur, occasionem tribuerit Patribus sextæ Synodi illum damnandi tanquam fautorem hæreticorum. Sed aliter de Typo, atque de Epistolis Honorianis judicandum est. Paulus enim promulgatione Typi contendebat dogma de duplici voluntate adversus totius Ecclesiæ querimonias, & jam proscripta Ecchlesi, sepelire silentio, atque Sergii, & Pyrrhi justissimam condemnationem mandare posterorum oblivioni. Cum itaque prædicari debeat veritas conculcata, neque honor habendus sit pervicacibus hæreticis, recte fuit Typus à S. Martino proscriptus. At Honorius ea prohibitionem unius, aut geminæ operationis, opponebat sese hæresibus Nestorii, atque Eutychetis, ut constat ex dictis; & ideo, quidquid sit de illius œconomia, neque perviciæ, neque hæreseos notandus est.

15. **Opp. 6.** Honorius elevare conatur præcipuum adversus Monothelitas argumentum, quod promittitur ex Verbis Christi, *Non quod ego volo, sed quod tu vis*, dicens non esse hæc diversæ voluntatis,



tatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ; ac propter nos dicta esse, ut non suam unusquisque nostrum, sed potius Domini in omnibus præferat voluntatem. Resp. negare his verbis Honorium diversam voluntatem, quæ repugnat præcepto, atque pugnacem, quam nos experimur, sensum rebellionem, ut dixi in Resp. ad 1. Ita etiam S. Maximus in Epistola ad Marinum; ubi hoc argumentum retorquet. Verba Sancti Martyris fuerunt à nobis recitata in prioris thes demonstratione.

16.  
Obijciunt 7.  
& responde-  
tur.

Opp. 7. Approbat Honorius doctrinam Sergii. Hæc Monothelismum redollet. Igitur approbat Honorius Monothelismum. Resp. Honorium approbasse doctrinam Sergii, in quantum significavit non esse admittendam duplicem operationem in sensu Nestorii, scilicet duas personas operantes, ignorans quod Sergius, cuius nomen alias præclarum erat atque honestissimum, intendebat callide denegare operationem humanitatis: nunquam tamen probasse Honorium doctrinam Sergii, in quantum alibi tradidit humanitatem non agere, sed pati, ac moveri. Diximus præterea in genuina Epistola Sergii ad Honorium aperte non apparere Monothelismum, ut demonstrat Desirantius.

17.  
Obijciunt 8.

Opp. ultimo. Sexta Synodus Act. XIIII. anathema in Honorium contorsit, ac doctrinam ejus in Epistola ad Sergium hac nota perstrinxit: *Dogmaticas retractantes Epistolas, quæ tanquam à Sergio quondam Patriarcha hujus à Deo conservandæ regie urbis scriptæ sunt, tam ad Cyrum, quam ad Honorium; similiter autem & Epistolam ab Honorio rescriptam ad eundem Sergium, hasque inventientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus, & à definitionibus sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas hæreticorum, eas omnino abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur.* Paulo post damnatis aliis Monothelitis prosequitur sancta Synodus: *Cum his simul projici à sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit.* Ex his liquet à Generali Synodo non solum damnatam fuisse personam Honorii œconomiae causa, ut quidam dixerunt, sed etiam anathemate petitam illius doctrinam tanquam in omnibus Monothelitis consentientem.

Juxta diversa Doctorum placita, de quibus supra, gravissimo huic argumento varia solent adhiberi responsa. Nonnulli itaque respondent Acta VI. Synodi fuisse depravata, & damnationem Honorii additam à Theodoro Monothelita. Quorum momenta sunt. Primum quoniam Agatho Papa in Epistola ad Constantinum, quam eadem Synodus VI. Act. 8. & 18. declaravit esse à Spiritu sancto dictatam, aperte affirmat nullum suorum prædecessorum à fide aberrasse. Igitur Synodus VI. & Agathonis, & sibi ipsi repugnasset, si Honorium tanquam Monothelitam petiisset anathemate. Imo si attente Agathonis legatur Epistola, videtur etiam laudare Honorii Sergio silentium imponentis œconomiam, tanquam Dominico directam Spiritu. Ait enim: *Apostolica memoria mea parvitas Prædecessores Dominicis doctrinis instructi, ex quo novitatem hereticam in Christi immaculatam Ecclesiam Constantinopolitana Ecclesia Præsules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari atque obsecrando commovere, ut à pravi dogmatis heretico errore SALTEM TACENDO desisterent, ne ex hoc exordium dissidii in unitate Ecclesie facerent, unam voluntatem unamque operationem duarum naturarum asserentes in uno Domino nostro Jesu Christo.* Quis autem erumpente Monothelismo id præstitit nisi Honorius, ejus successores Theodorus, Joannes, ac Martinus sederunt jam vulgata Ecchesei, factoque dissidio, intorserunt anathemata, nec probarunt spreti jam silentii salubre remedium, sed adhibuerunt putrescentibus vulneribus necessaria? Itaque VI. Synodus, quæ ore Agathonis credidit locutum Spiritum veritatis, non potuit tam exacerbato animo ferre in Honorium sententiam. Deinde nisi corrupta dicantur acta Synodalia, fateri oportet, inquit, in Patribus Synodi summam impudentiam, utpote qui primam Sedem, quæ à nemine judicatur, præcipiti judicio damnassent. Præterea incredibile est Apostolicæ Sedis Legatos, quibus compertum erat Honorium publico funere in templo S. Petri, atque inter sanctos Pontifices fuisse reconditum, audientes anathema in Papam vitam functum, nec verbum protulisse, ut Honorii scripta accuratius expenderebatur, & detecta etiam hæresi inquireretur num saltem palinodiam ante obitum recantasset. Insuper Græcos, quos sanctarum Synodorum corruptores fuisse conjici potest ex Epistola S. Leonis ad Flavianum, ex Gregorio Magno lib. VI. Epist.

18.  
Aliorum Responsio.



Epist. 14. ad Narſ. & ex aliis monimentis quamplurimis, corrupiſſe etiam Acta vi. Synodi, aut ſaltem aſſuiſſe damnationem Honorii, argumento eſt, quod ante memoratam Synodum tria Concilia fuerant Romæ celebrata in cauſa Monothelitarum, unum ſub Theodoro, alterum ſub Martino, ac tertium ſub Agathone, atque in Africa Bizacenum, Carthaginenſe, & Mauritanæ: neque tamen in his ſit aliqua Honorii mentio, tanquam Monothelitis addiſti. Tandem quod putant alii ſuperare fidem corruptos fuiſſe Codices, quos certum eſt fuiſſe tranſmiſſos ad Sedes omnes Patriarchales, hoc idem evincit oppoſitum; quoniam per pauca tantum, non ſingula exemplaria fuiſſe vitia colligitur ex quo Theophanes, & Georgius Monachus tunc temporis omnes res geſtas ex Græcis monimentis ſedulo exſcriptas literis conſignarint, nec tamen damnationis Honorii fecerint mentionem aliquam.

19.  
Non ſatis  
facit.

Hæc reſponſio, quamquam probabilis, non videtur viris doctis ſatisfacere. Nam aſſertio Agathonis vera eſt, ſi dixeris Honorii Epistolam non continere fidei definitionem, aut deceptos Patres Synodi errore facti, aut recipi Acta Synodalia uſque ad canonum prolationem, ut mox explicabimus. Altera etiam ratio labascit, ſi reponas Patres ex Epistolam ſibi exhibitam, atque discrepantibus ab ea, quam Sergius ſcripſit ad Honorium, protuliſſe iudicium; vel ſiniſtra informatione fuiſſe deceptos, vel non hæreſim, ſed œconomiam Pontificis reprobaſſe. Tertia de ſilentio Legatorum flacceſcit, ex quo ii tacere potuerint aut *conviventia* cauſa, aut ne memoria Honorii acerbioribus impeteretur calumniis, aut ne abſolutionis Honorii prætextu Monotheliſta Sergium ſubtraherent ab anathemate. Excommunicare autem vitam ſunctum Episcopum fuit Eccleſiæ praxis, ut conſtat ex Theodoro Mopſueſtino, Nepotiano, nec non ex ipſo Sergio poſt mortem anathematizato à Martino. Reliquæ autem conjecturæ ſunt prædiſtis debiliores, quoniam revera incredibile eſt Græcos exemplaria ſingula adulteraſſe: & ſi per pauca corruperunt, fuiſſet ex legitimis reſutata ipſorum audacia. Theophanes vero, & Georgius in compendio narrant historias, nec omnia proſequuntur acta Conciliorum.

20.  
Plures dam-  
nant Hono-  
rium.

Ex alia parte damnationis Honorii meminit Leo II. in Epistola ad Constantinum, quam licet ſpuriam ex nota indicationis opi-

nentur Baronijs ac Binius, recipiunt tamen cum Pagio ad annum 683. viri docti. Meminerunt etiam PP. ſeptimæ Synodi Act. 111. ubi recitata eſt Synodica Tharaſii, & Confellio Fidei Theodori Jerofolymitani; & Act. 6. in diſputatione Epiphaniæ diaconi: Hadrianus quoque Act. 5. Synodi viii. Anaſtaſius Bibliothecarius in Epistola ad Joannem Diaconum, Pſellus in Carmine de ſeptem Synodis, Beda in libro de ſex mundi Aetatibus, Nicephorus Patriarcha in Epistola ad Leonem III. Humbertus Cardinalis in libro contra Nicetam, alique laudati partim à Cano libro vi. de locis Th. cap. 8. partim in Historia Monothelitarum Combefſii, & Dezallier. Tantis nihilominus teſtibus poſſent Baronijs, Poſſevinus, alique præcedentis ſententiæ propugnatores reponere ex ſemel corruptis Actibus vi. Synodi falſum de Anathemate Honoriano rumorem ad Leonem ac poſteros derivaſſe. Hanc itaque priorem reſponſionem lectori committimus dijudicandam.

Melioris notæ exiſtimamus unam ex ſequentibus reſponſionibus. Prima eſt Reſponſio Anaſtaſii in Epistola nuper laudata hæc ſcribentis: *Ne videamur tam ſanctam, tamque reverendam Synodum accuſare, vel temere reprehendere, licere nobis opinamur de illa ſentire, quæ Sanctos Patres nostros de Chalcedonenſi magna Synodo ſenſiſſe non ignoramus. Quorum unus, ſanctus videlicet Papa Gregorius uſque ad prolationem tantummodo Canonum hanc ſuſcipiendam fore ſignavit.* Alia deinde Anaſtaſius proferit exempla, quæ eo loci poterit unusquisque perlegere. Reſponſio altera eſt, quam tradit Turcremata, Concilium deceptum errore facti, quod de Honorii Epistola iudicium protulerit juxta exemplar in græcam linguam à Monotheliſta tranſlatum, atque eo permotum, quod Papa Sergii doctrinam commendaverit, eique ſimilia conſcripſerit, licet diverſo plane ſenſu, nec impia, tameſi male ei ceſſerit, diſpenſatione. Ac magis errorem illum ſiniſtrumque iudicium reddit excuſatione dignum Deſirantius demonſtrans Epistolam Sergii diverſitatem, illorumque vafritiem, qui in conſpectu Synodi veneranda unam pro alia ſuppoſuerunt: quod licet diſert. xxvi. reſellat Platina, magna ſane probabilitate non caret. Enimvero ipſam Honorii Epistolam Monothelitarum fraude vitiatam, ut diximus ad i. obſect. ſcribit ad Marinum ſanctus Maximus, idque comprobat teſtimonio Anaſtaſii, quem ait eſſe *virum incomparabilem*.

Altera Reſponſio.



rabilem, virtuteque divina ac prudentia veniſſimum. Vide Tom. vi. Venet. Col- lect. Concil. pag. 1517. Deinde ſi depravationes, quas Deſirantius inferas putat, à Sergii abſcindantur Episto- la, nihil in ea occurreret falſitatis, nihil quod oleat hæreſim, atque, ut vir doctus pag. 46. & ſeq. demonſtrat, mira erit inter Ser- gii & Honorii literas coherencia, qua- drabitque ſingulis capitibus Sergianæ Epi- ſtolæ pars qualibet Reſponſionis. Præ- terea, ſi verum eſt corrupta Græcorum dolo ſextæ Synodi Acta, inferamque Honorii condemnationem, quod idem Platina nititur demonſtrare ratiociniis plurimis, eruditique notationibus in Synodum præſertim Lateranenſem: quid miraculi aſſert, ſi credamus Monotheli- tas & Græcos, & hæreticos literas Con- ſtantinopolitani Præſulis depravaſſe? Ad hæc opinatur Platina omnes ſe Deſiran- tii Animadverſiones contere, aſſermans inverſimile eſſe Patres poſt probatum authenticum exemplar Epiſtolæ Honorii ad Sergium, non inſtituiſſe, ut cum auto- grapho conferrentur literæ ejusdem Ser- gii. At quis non videt argumentationem iſtam, quam rhetoricæ exornat, ſola le- ctione Act. xii. Synodi vi. penitus evaneſcere? Ibidem quippe Tom. vii. pag. 970. legimus epiſtolam Honorii ad Ser- gium collatam fuiſſe cum latina per Joan- nem Episcopum Portuenſem, epiſtolam autem Sergii exhibitam à Macario col- latam fuiſſe cum exemplari reperto à Georgio Diacono in Conſtantinopolita- no Chartophylacio. Ita nimirum Pa- tres prudentiſſime collationem latinarum epiſtolarum Latinis, græcarum Græcis commiſerunt. Verum quis epiſtolam Sergii à Patriarchio erutam cum ea, quam miſit ad Honorium concordare certa ra- tione demonſtret? quis ignorat potuiſſe in regiſtris Chartophylacii recondere vi- tiatum exemplar aut Paulum, aut Pyr- rhum, aut Sergium ipſum Monotheli- tas? Sane poſtquam codex è chartaphy- lacio depromptus repertus eſt concordare cum Macarii *ſaſciculo*, de autographia Epiſtolæ Sergii non fuit ulterius diſcu- ſum: quod nec opus erat præſtare, cum Sergii hæreſis ex aliis quoque ipſius ſcri- ptis pateſceret. Poſtremo difficile eſt admodum à nota hæreſis purgare verba illa Sergii, *Operatur quippe vera Deitas per corpus, quod circa ipſum eſt, omnium ſalutem. ut ſit carnis quidem paſſio, Dei autem operatio*; & quidquid Sergius dogmatizat exemplo corporis, quod regi- tur, & ordinatur ab intellectu, & rationali anima: ut comparatione iſta demonſtret, *totam humanam conſperſio-*

R. P. Berti Theol. Tom. V.

nem fuiſſe in Chriſto motam ſemper in omnibus, Deique mobilem: ideoque ver- ba illa Deſirantius jure ſuſpicatur infer- ra. Neque enim me latet reſpondere Platinam, iis verbis ſignificari impetus omnes in carnem Chriſti dimanari ex Verbi nutu & imperio: etiam corpus modo ſuo agere, eſſi regatur ab animæ Sophronium quoque in Epiſtola Synodi- ca relata act. xi. Synodi vi. & Joannem Damascenum lib. i. de Fid. cap. 15. aliosque Patres ſimilia proferre. At vi- detur Sergius *toti humanæ conſperſioni* mobilitatem, & paſſionem ſolam tribue- re, dum Patres à Platina laudati, licet recte aſſerant humanam Chriſti naturam fuiſſe à Deo Verbo motam tanquam in- ſtrumentum divinitatis, illi tamen pro- prias tribuunt actiones, quas Sergius de- negat. Iſdem quippe locis à viro docto productis, inquit Sophronius Chriſtum fuiſſe veluti promum condem *humana- rum actionum & paſſionum*, & Damasce- nus ait humanam naturam *volente Ver- bo, & concedente pati, aut agere*: quæ fruſtra in Sergio perquires. Verum quo ſenſu Sergius, quo ſenſu Patres di- xerint naturam humanam à Deo Verbo moveri, diximus paulo ſupra. Ignoro etiam an corporis exemplum, ut pro- fertur à Sergio, poſſit doctrinam catho- licam confirmare. Ut enim mittam opi- nionem illorum Philoſophorum, qui ne- gant corpora ullo pacto ſe, aut alia mo- vere tanquam principium motus efficiens; Sergius animatæ Chriſti carni ſolam attribuit *paſſionem*, quemadmodum *opera- tionem* duntaxat divinitati. Cæterum vel hæc ſcripſerit, vel non ſcripſerit Ser- gius, parum intereſt; non enim iſta adin- venies in Honorii ad eundem Sergium epiſtola: de qua Deſirantii ſententiam ita propono, ut illam tamen non credam eſſe inviſtiſſimam.

Tertia reſponſio eſt, quod accuſanti- bus compluribus Honorium de hæreſi, & nemine illum excuſante (occulto fortal- ſis Dei judicio permittente, ut ſilentium indictum ab Honorio ſilentio puniretur,) excerptisque utrinque ex epiſtolis Ho- norii, & Sergii conſimilibus ſententiis, Concilii Patres Honorium telo repro- bationis confoderint; non enim iniquum eſt dicere anathema Papæ, ſi ſupponatur hæreticus, quamquam revera in hæreſim non ſit prolapſus. Hinc Hadrianus in Actione v. Synodi Octavæ Generalis in- quit: *De Romano Pontifice quemquam ju- dicari non legimus: licet enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt quod fuerat*

22.

Tertia Re- ſponſio.

ſuper



*super hæresi accusatus: propter quam solum licitum est minoribus Majorum suorum motibus resistere.*

23.  
Culpatur à pluribus Honorii diffimulatio.

Dixi in principio disputationis recentiorum complures asserere revera Honorium I. damnatum à vi. Synodo, at non tanquam hæreticum, sed tanquam reum nimiae facilitatis, & inconsultae dissimulationis, eoquod fidem præbens Sergio, & geminae operationis prohibens vocabulum, causam, licet ignarus, tribuerit Monothelitis hæresim suam nisu audaciori promovendi. Hanc sententiam laudatus Platina vellicat xxxvi. dissertatione, Natalem Alexandrum alloquens oratoriis confutationibus. At cur Natalem impetit? Cur solum tanquam levissimæ defensionis auctorem exagitat? Eadem, quæ Natalis, hac in parte tradidisse Marcum, Garnerium, Tamagninum docet in Notis ad annum 633. illustris Pagius. Atque is non solum id refert, verum etiam iisdem argumentationibus confirmat, & extra controversiam positum esse contendit: ne repetam modo Lupum, L<sup>e</sup> Herminierum, aliosque quamplurimos. Nititur hæc sententia testimonio Leonis II. scribentis de Honorio ad Hispanos Episcopos, *Qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit*: altera epistola ejusdem Leonis ad Constantinum Pogonatum, ubi de Honorio legitur, *Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina illustravit, sed profana proditiōe immaculatam maculari permisit*: auctoritate vetustissimi libri, qui inscribitur Diurnum Romanorum Pontif. à Marca, à Garnerio, & à Pagio laudati, ubi pag. 32. legitur damnatos auctores novi hæretici dogmatis *Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Constantinopolitanos una cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit*: Rescripto denique Imperatorum Honorii & Theodosii ad Aurelium Episcopum Carthaginensem, in quo habetur, *Una eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando convenientiam, aut non damnando favorem noxium præstiterint*: quibus omnibus asseritur (quidquid subinfere conetur Platina) Honorium I. non dogmate & sententia, sed facilitate ac dissimulatione hæresi Monothelitarum impendisse fomentum; & immaculatæ Ecclesiæ injecisse quodammodo maculas, non perniciofa doctrina, sed permissione, ac silentio. Verissimum ta-

men puto facilitatem illam Honorii, quæ consequentis spectatis visa est damnationi subicienda, fuisse in se ipsa dignissimam excusatione; quoniam Pontifex, ut diximus, prospiciebat, ne unius, vel geminae operationis prætextu Nestoriana, vel Eutychiana hæresis instauraretur, imo & alia vocabula subrogavit, quæ operationes duas apertissime commonstrarent. Atque ex his constat Honorium non adhæsisse Monothelitis, sextamque Synodum, si in illum interisset anathema, vel recipiendam esse usque ad prolationem tantummodo canonum, vel errasse errore facti, vel sententiam dixisse facta hæreseos hypothesi, vel reprobasse in Honorio facilitatem & silentium, non dogma ac doctrinam: quid autem horum verisimilius sit, judicet prudens Lector.

PROPOSITIO II. Etiam si in Epistolis Honorii contineretur hæresis Monothelitarum, nihil id roboris haberet ad infringendam Romani Pontificis auctoritatem. 24. Propositio 2.

Sequitur ex dictis. Quis enim evidenter demonstraturus est, Epistolam ipsam non fuisse à falsariis corruptam? Quis etiam ostendet Joannem Abbatem non esse auctorem Epistolæ, nec plura, ut suspicatur Anastasius, proprio Marte addidisse? At sit solus Pontifex illius doctrinae auctor, & ipsa quoque doctrina hæresis manifesta. Sunt magni nominis Theologi, qui cum Cano tenent in iis, quæ Pontifex docet tanquam privatus Doctor, non habere specialem illam Spiritus sancti assistentiam, quæ nunquam deest ubi credenda proponit; & loquitur, ut inquit, ex Cathedra. Epistolæ autem privatim conscriptæ, absque solemnī ritu promulgatæ, hortatoriæ, atque ad unum Patriarcham directæ, non impulsivæ, non Apostolica auctoritate suffultæ, non encyclicæ, & palam ad fidelium ædificationem propositæ, tanquam privati Scriptoris censentur, non tanquam Papæ. Talia fuisse Honorii ad Sergium Responsa neminem latet. Factum itaque Honorii non suffragari iis, qui tribuunt Apostolicæ Sedi defectibilitatem optime inquit Fulgentius Bellelli in postremo Opere Mentis Augustini Parte 11. pag. 488. ante ipsum vero Antonius Dezallier in Hist. Monoth. Scrut. 6. Mart. Petitdidier de Auct. & Infallib. Pontif. cap. 8. alique Doctores quamplurimi,

CAPUT



# CAPUT XII.

De Chriſti Domini perfectionibus, quæ ad voluntatem ſolent referri.

## SUMMARIUM.

1. Status quæſtionis.
2. Quid Sanctitas creata, & quid Sanctitas Chriſti.
3. Probatur Sanctitas Chriſti ſubſtantialis, & increata.
4. Probatur etiam, eam eſſe creatam, & adventitiam.
- 5 & 6. Solvuntur obſectiones.
7. De Virtutibus Chriſti.
8. Probatur Chriſtum non peccâſſe.
9. Obſectio ſolvitur.
10. & 11. Cur Chriſtus non peccaverit, assignatur radix.
12. & 13. Probatur hæc radix ex Patribus, & ratione.
14. Libertas humana in quo conſiſtat.
15. Variæ de libertate Chriſti opiniones.
16. Eſſentialia requiſita ad libertatem.
17. Sufficit indifferentia mediæ ſecundum ſe.
18. Uſque ad 22. Chriſtum liberè fuiſſe mortuum, probatur.
22. & ſeqq. Solvuntur obſectiones.

1. Status quæſtionis.

QUEMADMODUM proſtigatis hæreſibus circa aſſumptam à Verbo humanam mentem hujus perfectiones cap. 1x. demonſtrare curavi; ita nunc refutatis Monotheliſis, de iis, quæ voluntati tribuuntur, dicam nonnulla. Sunt autem hæ perfectiones Sanctitas, Impeccabilitas, ac Libertas. De ſanctitate, quæ in habituali gratia ſita eſt, conveniunt omnes Chriſtum ea fuiſſe exornatum, merito Nazaræum, id eſt, *Sanctum*, appellatum, ob Spiritum ſanctum inhabitantem, perfectumque juſtiæ ornamentum; atque hoc idem prædixerat Angelus ita Mariam alloquens; *Quod nāſcetur ex te Sanctum*, &c. Lucæ 11. 35. atque anterioribus ſæculis Eſaias xi. 2. & Daniel ix. 24. Quod à Scholaſticis ſolet in quæſtionem verti, eſt, an Chriſti anima dicenda ſit ſancta ſanctitate eſſentiali, an accidentaliter, & utrum per ſolam ſanctitatem increatam ſancta fuerit, quod idem eſt ferme. Quaritur etiam de virtutibus, quæ eximie ſingulariſque ſanctitatis ſunt comites individue.

2. Quid Creaturæ Sanctitas.

In qualibet creatura ſanctitas creata, & accidentaliter dici dedit; accidentaliter quidem, quod ſit donum extra naturæ ordinem, & etiam in hac vita poſſit amitti: creata autem, quoniam eſt quidem juſtitia & ſanctitas, ſi efficienter conſideretur, ipſe Spiritus ſanctus inhabitans, ſed formaliter, ut inquirunt, eſt inhærens qualitas, & rectitudo animi dono ipſius Spiritus inhabitantis collata. At in Chriſto, qui eſt verus Deus, & item verus homo unitate perſonæ ſubſtantiali, non poteſt gratia dici accidentaliter eo titulo, quod amitti poſſet, vel ad naturalem dignitatem non pertineret; quemadmodum nec creata eo ſenſu, quod per ſolam hypſtaticam unionem non redderetur humanitas Chriſti ſanctitatis decore cumulatiſſime ornata. Nos tamen

R. P. Berti Theol. Tom. V.

facili negotio quæſtionem hujusmodi dirimi arbitramur, ſi duo in ſanctitate vel gratia munera diſtinguamus. Præſtat enim gratia, ut diximus, rectam animæ habitudinem, ſive inhærentem juſtiā, ac præterea conſtituit hominem Dei filium, tribuitque ei juſ ad hæreditatem, atque reddit ejus opera meriti laude Deo pergrata & accepta. Spectato itaque priori munere ſanctitatis, Chriſti gratiam creatam eſſe affirmamus; ſed altero munere inſpecto illam dicimus ſubſtantialem & increatam.

PROPOSITIO. Sanctitas fuit in Chriſto tam ſubſtantialis & increata, quam creata atque adventitia.

Demonſtratur prima pars de ſanctitate ſubſtantiali atque increata. I. Argumento, quod promittitur ex laudatis verbis, *Quod nāſcetur ex te Sanctum*, ubi cauſam ſanctitatis eſſe utriusque naturæ ſubſtantialem unionem demonſtrant verba præcedentia, *Virtus altiffimi obumbrabit tibi*, & neutrius generis vocabulum *Sanctum*, uti adnotavimus lib. vii. Cap. ix. II. Ex Patribus, qui ex unitate Perſonæ inferunt Chriſto gratiam ineſſe naturalem, & unctionem Spiritus ſancti in eo eſſe humanitatis mirabilem ſuſceptionem, ut loquitur Gregorius Nazianzenus Orat. v. & S. P. Auguſtinus cap. 40. Enchiridii. III. Ex Theologica ratione; ſi enim ex quo Verbum humanam naturam aſſumpſerit in unitatem perſonæ, ut ſuo loco demonſtrabitur, Chriſtus eſt filius Dei naturalis, oportet ut etiam habeat ratione divinitæ perſonæ juſ ad hæreditatem, & gloriam, præciſo etiam quolibet dono adventitio, ex quo conſequi tantum poſſet filiatio adoptiva, ſi perſona foret Deo extranea, non filius Dei naturalis.

Probatur ſecunda pars, quia anima ſanctitas, quatenus illam reddit rectam

O 2

ac

3. Propoſitio. & eiuſdem probatio quoad 1. Partem.

4. Probatur

ada Pars.



ac justam in Augustiniana Theologia est charitas habitualis, amor castus, & bona voluntas diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum inhabitantem. At humanitas Christi non redditur *formaliter* amans & volens per ipsum Verbum sibi intrinsece unitum. Igitur humanitas Christi non est recta, & sancta per solam sanctitatem divinam, atque increatam. Prob. minor. Est quidem divinum Verbum substantialiter sanctum, quomodo est intelligens, volens, & operans. Attamen cum humanitas ab illo assumpta habere debeat proprietates ac perfectiones, quæ ipsam in suo genere compleant, nequit Christi humanitas reddi *formaliter* intelligens per intellectum Verbi, aut volens, & operans per solam voluntatem, & operationem divinam; alioqui pereant necesse est omnia argumenta superius contra Appollinaristas, Monothelitasque producta. Atqui etiam sanctitas, & gratia habitualis est intrinseca animæ rationalis perfectio, atque habitudo quædam ipsi inhærens, & cujus capax est præcisa quoque unione hypostatica. Igitur Christi humanitas non redditur *formaliter* sancta & recta per Verbum sibi substantiali unione conjunctum.

5.  
Oppugnatur  
probat.

Adversus hanc partem pugnat I. Quod Patres appellant sanctitatem Christi substantialem, atque in hoc discrepantem à sanctitate aliorum, quod in his adventitia sit, & labore ac operibus comparata, in Salvatore autem nostro naturalis, atque ipsam hypostaticam unionem consequens. Ita tradunt Dionysius Alex. in Epist. Synodica contra Paulum Samosatenum, Basilii in Psalm 42. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joannem cap. 9. S. P. Augustinus lib. 111. contra Maximum, cap. 15. alique complures laudati à Vasquesio disput. xli. de Incarnat. q. vii. & ab H. Tournely q. xi. art. 3. Pugnat etiam ratio; primum quia intimior est humanæ Christi voluntati unio hypostatica, quam sit habitus, aut modificatio aliqua accidentalis, ideoque si potest qualitas adventitia reddere Christi humanitatem *formaliter* sanctam, potest hoc idem majori titulo præstari ipsa substantiali unionem. Deinde sanctitas adventitia reddit subjectum, cui inhæret filium Dei adoptivum; Christus autem etiam ut homo est filius Dei naturalis. Non igitur sanctus est dono aliquo superaddito atque adventitio.

6.  
Respond.

Respondetur esse quidem in Christo sanctitatem substantialem, ut SS. PP. affirmant, in quantum sanctitas humanam naturam elevat in consortium di-

vinitatis, eique tribuit dignitatem, jus ad gloriam, & divinæ filiationis characterem eximium ac singularem. De quo munere sanctitatis loqui sanctos Patres liquet, quoniam illorum scopus est in Christo aut naturam divinam, aut unitatem Personæ, aut Incarnationis æconomiā demonstrare. Naturalem itaque appellant sanctitatem Christi, aut spectando personæ excellentiam, aut jura humanitatis quæ unionem hypostaticam consequuntur, aut communicationem idiomatum; de qua infra. At eum repugnet divinitatem ipsam fieri proprietatem, & modificationem humanitatis, necessum est, ut ad constituendam Christi voluntatem *formaliter* sanctam, etiam habitum adventitium & accidentarium ei tribuamus, qui efficienter sit ab ipsa divinitate, *formaliter* autem sit recta animæ Christi habitudo, & affectio; ut impressione sigilli recipit cera figuram, sive intrinsece sibi inhærentem dispositionem. Atque manifesta hæc sunt, si causam efficientem ab ea, quam *formalem* appellant, accurate distinguas. Diluuntur his argumentationes postremæ. Prima quidem; quoniam divinitati substantialiter cum natura humana conjunctæ competit hanc ad sua jura transferre, ac perficere in genere causæ efficientis, sed repugnat ut illi inhæreat, tanquam modificatio vel qualitas, sive suppleat, ut inquit Scholastici, rationem causæ formalis. Gratia autem creata nequit in Christo filiationem adoptivam producere, quia filio non ad naturam humanam proprie spectat, sed ad personam; ut suo loco explicabitur.

De virtutibus, ac donis Spiritus sancti non opus est disceptare. Etenim super Christi personam Spiritus Domini requievit, & gratiæ ac veritatis plenitudine illum ornavit, idque Capiti Ecclesiæ, quod nobis humilitatis, ac cæterarum virtutum præbere debebat exemplum, magnopere congruebat. Sunt tamen virtutes, quæ ratione subjecti, cui inhærent, sitæ sunt in reffrenanda cupiditate, quamquam in se spectatæ important tantum rectum ordinem, & æquitatem, cujusmodi sunt temperantia, continentia, atque voluptuosæ cupidinis mortificatio. Hæc constat fuisse in Christo, spectato tantum ordine æquitatis, in quo sita est natura virtutis, non considerata pugna, quam coercent, pravorum affectuum, quorum expers fuit sanctissima Christi anima. Virtus charitatis in ipso maxime enituit, præsertim dum posuit animam pro peccatoribus. Fides autem, quoniam

7.  
Christi Vir-  
tutes,



quoniam eſt rerum non apparentium, non fuit in Chriſto à primo conceptionis inſtanti theſauris divinæ ſapientiæ, beatæque viſionis exornato. Idem dicendum de ſpe, in quantum fertur in principale ſui objectum, id eſt, participationem ſummi boni, quo etiam in via beatiffima Chriſti anima fruebatur. Neque his carere virtutibus fuit in Chriſto perfectionis defectus; cum melius ſit poſſidere, quam ſperare; & videre facie ad faciem, quam in ſpeculo, & in ænigmate. Legatur Apoſtolus in 1. ad Corinth. cap. xiii.

DE CHRISTI IMPECCANTIA.

8. Nullum fuiſſe in Chriſto peccatum ex Chriſtus non Scripturis, ex Patribus, atque ratione peccavit. ipſa facile ſuadetur. Enimvero ita Saluator invidos allocutus eſt, Joan. viii. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et Paulus ad Hebræos iv. 15. de ipſo inquit: *Tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato;* & proximo cap. vii. 26. *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* Petrus etiam Epitt. i. cap. 11. 21. *Peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* Habent conſimilia Eccleſiæ Patres, præſertim Auguſtinus lib. 11. de Peccatorum merit. cap. 11. 13. & ſeq. & de Prædeſt. 88. cap. 15. aliique proſus omnes. Optimam rationem ſuppeditat citato loco S. Pater, quoniam niſi Chriſtus fuiſſet Sacerdos incontaminabilis, debuiffet pro ſuis delictis hoſtis offerre, neque inter ipſum & alios Sacerdotes fuiſſet illud diſcrimen, quod in Epiftola ad Hebræos tradidit Apoſtolus Paulus. Præterea indigniſſet etiam ipſe alio Redemptore, nec exhibuiſſet Patri ſatisfactionem pro nobis, quoniam debita eſſet peccatis ſuis ignominia, crucisque ſupplicium. Denique humanitas Chriſti à divinitate regebatur, imo opera, quæ naturæ humanæ propria ſunt, de ipſo Verbo Dei que Filio enuntiantur, cum recte dicatur Deus paſſus & crucifixus. At non rexiffet Verbum humanitatem, ſi permiſſet, ut in ſcelera prolaberetur, atque eſſet indecorum & impium, ſi poſſit Dei filius, uti mortuus, ita dici impius & ſcleratus. Hæc autem poſtrema ratio non ſolum probat fuiſſe Dominum Jeſum Chriſtum expertem cujuſque criminis, ſed etiam potentiæ peccandi.

9. Viderur his repugnare, quod in cruce exclamaverit, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* in quibus verbis Obſciur & reſponderetur

actum deſperationis impii quidam hæretici notaverunt: ſed quam præſtate, atque imperite, jam dixi cap. ix. Move re pariter nos non debet quod delicta noſtra appellaverit ſua: nam id argumentum eſt charitatis, qua ſuſtulit pœnam iniquitatum noſtrarum; & per metonymiam cauſæ delictum pro ſupplicio commemoratur. Quod vero Apoſtolus 2. Corinth. 5. ſcribat Chriſtum pro nobis peccatum feciſſe; metonymia pariter eſt in ſacris literis frequentiffima; ubi peccatum appellatur ſacrificium oblatum pro peccati ejusdem expiatione. Ita in Exodo xxix. 14. & xxx. 10. & perſæpe in Levitico quotieſcunque memoratur ſacrificium pro peccato, Hebraice dicitur חַטָּאת peccatum; quod rectiffime pro

peccato vertit Latinus: imo retinet aliqui eandem phraſim, ut Oſeæ iv. 8. *Peccata populi mei comedent*, id eſt, factas pro ſceleribus oblationes, ut liquet ex collatione capitis vii. Levitici verſ. 7. & 8. Si dixeris: Cur repugnat Filium Dei dici peccatorem, & impium, & non repugnat dici pauperem ac mortuum, cum æque divinitati adverſetur peccandi & moriendi potestas? Reſpondemus mortem malum eſſe pœnæ, non culpæ; ideoque eadem mors ſubeſt regimini divinæ perſonæ, in quantum malum pœnæ in rectum finem dirigitur: unde potuit etiam Verbum mortalem naturam induere, & in hac ſe in ara crucis offerre, ac mori ad redemptionem perficiendam. At peccatum malum eſt morale, neque in rectum finem eſt dirigibile: & ideo ſubeſſe non poteſt divinitatis providentiæ effectrici; neque decens erat, ut Verbum aſſumeret humanitatem obnoxiam malo iſtiusmodi, quod definitam Redemptionem magnopere la befactaſſet.

His de Chriſti impeccantia explicatis, 10. videndum remanet unde illa tanquam à Cur Chriſtus vera cauſa profluxerit, an à carentia con- non pecca- cupiſcentiæ vel fomitis, an ab unionem verit. hypſtatica, an denique à viſione Dei, quæ voluntatem omnium Beatorum rapit in ſummum Bonum, efficitque delectationem vehementiſſimam & neceſſariam. Et quantum ad peccati fomitem, non fuit quidem in carne Chriſti mortali, & licet per ſuggeſtionem tentatus fuerit à dæmone, non potuit ſenſum illecebris, noxiæque cupiditate percelli: ſed tanta ſpiritus, membrorumque concordia nequit, ut in homine primo demonſtravit experientia, ita voluntatem hominis continere, ut non poſſit ſervire peccato,



peccato, cum sit naturâ mutabilis & infirma. Oportet ergo ut Christi impeccantiam à supernaturali virtute repetamus, eaque vel erit visio intuitiva, vel unio hypostatica. Atque visionem divinitatis manifestam conferre sanctæ charitatis firmissimam perpetuamque virtutem, extra controversiam positum arbitramur: & in hac parte assentimur Scotistis. Sed hinc potissimum derivare Salvatoris nostri impeccantiam, adeo ut separatus à visione divinitatis (si tamen id percipi potest) foret voluntas humana Christi capax peccandi, hoc sane cum Scholasticis reliquis pernegamus.

11.  
Causa affi-  
gnatur.

Dicimus ergo beatissimam Christi animam, quæ fruitur ob contemplationem divinitatis impeccantia illa adventitia, nec ad ejus substantiam spectante, qualis in omnibus Comprehensoribus invenitur, esse substantialiter quoque impeccabilem, propterea quod conjuncta sit divinitati in unitate personæ. Ita nimirum Concilia, Patres, & ipsa ratio commonstrant. Sexta enim Synodus Oecumenica damnans Monothelitas, qui in Christo humanam voluntatem denegabant ea ratione ducti, quod hac admilla forent in illo voluntates duæ pugnantes invicem, & contrariæ; posteaquam hæresim illam profligavit, cur nequeat in Domino statui oppositarum voluntatum certamen ac lucta, Act. vii. hac ratione declarat: *Quemadmodum, inquit, corpus nostrum regitur, ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima: ita in homine Christo tota humana ejus conspersio ab ejusdem Verbi divinitate semper, & in omnibus mota Deo mobilis fuit.* Ex quibus hæc ratio cinatio concluditur. Christus est impeccabilis in quantum nequit habere voluntatem pravam, & rationi reluctantem. Atqui hanc habere non potest ob unionem substantialem, qua tota ejus conspersio regitur à divinitate, quemadmodum corpus ordinatur ab anima. Igitur Christus impeccabilis est propter ipsam unionem substantialem atque hypostaticam.

12.  
Probatur ex  
Patribus.

Eadem est Patrum doctrina. Enimvero Dionys. Alex. in Epistola superius laudata contra Samosatensem, *Nisi Christus, inquit, idem esset Deus Verbum, non poterat esse alienus à potestate peccandi.* Cyrillus Alex. lib. vi. in Joannem: *Prorsus fieri nequit, ut in peccatum incidat, qui ex Deo prodiit Deus verus.* S. Pater Augustinus de Corrept. & Grat. cap. xi. *Neque enim metuendum erat, ne*

*isto ineffabili modo in unitatem personæ à Verbo Deo natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium; cum ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis à Deo ita suscepta nulum in se motum malæ voluntatis admitteret.* Fulgentius denique lib. iiii. ad Trasim. cap. 29. *Propterea etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personæ divinitas accepit, quæ naturaliter peccare non novit.* Hæc, aliaque plura Sanctorum testimonia assertionem nostram corroborant. Præcisa enim visione beata, Christus substantialiter Deus est, atque humana natura à Verbo Deo in unitatem personæ suscepta vivifica Divinitatis virtute dirigitur. Igitur etiam non attenta contemplatione summi Dei, non poterat motum malæ voluntatis Christus admittere, eique assentiri.

Accedit aperta ratio. Etenim si duæ naturæ in unitatem personæ nexu substantiali copulentur, competit superiori jus regendi inferiorem, alioqui non erit in ea persona rectitudo ordinis, & naturalium facultatum debita harmonia. Hoc autem jure supposito, si pars inferior à recto æquitatis ordine defleat, in superiorem regentem culpa refunditur, sicut imputatur animæ effrenis carnalium membrorum licentia. Ex quo igitur sit inter divinum Verbum humanamque naturam indissolubilis unio, competit divinitati jus munusque humanitatem regendi, non solum lege atque institutione, quemadmodum princeps moderatur rempublicam, sed etiam intimo regimine, ac dominio, quo unaquæque persona præest liberis corporis, animique sui motibus. Posset ergo in Verbum Deum refundi peccatum, si peccare posset humanitas sibi in unitate personæ conjuncta.

Verum tamen est, quod humana voluntas suam libertatem exercet cognitione & amore; neque potest Verbum esse humanæ naturæ formalis cognitio vel amor. Ad componendam ergo Scotistarum à cæteris Theologis discrepantiam, arbitror plurimum conducere, si etiam hoc loco, ut supra diximus de sanctitate, distinguamus inter genera causarum. Itaque ob unionem hypostaticam debet Verbum Deus humanitatem susceptam continere, ut principium efficiens, dirigensque singulos ejus motus. Ut autem hoc jure humanitatem contineat, ejus mentem perspicua veritatis cognitione collustrat, & Spiritus sancti communionem perfundit. Quod si fieri posset, ut humanitas Christi tanto lumine

13.  
Probatur ex  
ratione.

14.  
Libertas hu-  
manæ volun-  
tatis in quo  
consistat.



lumine privaretur, non poſſet Verbum permittere, ut ſenſibilem rerum caligo inditum rationis lumen quomodolibet offuſcaret. Atque ita ſemper Chriſti voluntas debuit intra æquitatis jura amoris rectitudine contineri, qui amor eſt im- peccantiæ ratio, ut appellant, *formalis*. Nunquam ergo excogitari poteſt in Chriſto proxima potentia peccandi attentio divinitatis regimine, & rectitudine amoris, quorum unum eſt impeccabilitatis cauſa efficiens, alterum cauſa *formalis*.

DE CHRISTI LIBERTATE.

15.  
Variæ de  
Chriſti liber-  
tate opinio-  
nes.

Quam perplexa ſit quæſtio de libertate Chriſti, ſuppoſita ipſius impeccantia, deducitur ex variis Doctorum opinionibus. Eſt enim conſentiunt omnes Chriſtum libere ſubiſſe crucis patibulum, quod aperte divina ſcriptura, ipſumque meritum redemptionis comprobant, diſcrepant tamen plurimum ut hanc in morte ſubeunda libertatem cum impeccantia concilient. Spinoſum enim videtur ob- vium iſtud ac pervulgatum ratiocinium: Si potuit Chriſtus non mori, potuit etiam præceptum patris: qui illum miſit in mundum, ut pro peccatoribus more- retur, peſſundare ac transgredi, ideo- que peccare; aut econtra ſi peccare non potuit, neceſſitate, non electione mor- ti ſe tradidit. Mirum quanta viri docti, ut hinc evaderent, excogitarunt. Ne- garunt alii fuiſſe hoc præceptum morien- di impoſitum Chriſto: quidam hoc præ- ceptum aſſeruerunt, ſed ea conditione latum, ut poſſet Salvator petere, ſi vo- luiſſet, ejus diſpenſationem: nonnulli præceptum abſolutum & obligans eſſe negarunt: permulti docuerunt propoſi- tam hoc præcepto mortem, non circum- ſtantias à Chriſto libere ſeligendas: af- firmarunt quamplurimi fuiſſe Chriſtum liberum ad moriendum in ſenſu diſiſo, non in ſenſu compoſito, & mortuum neceſſitate conſequenti, non antecedenti: fuerunt etiam qui in Chriſto ad me- rendum negarunt neceſſariam libertatem indifferentiæ.

16.  
Eſſentialia  
requiſita ad  
libertatem.

In tanta opinionum diverſitate quid nobis tenendum ſit liquet, ſi ad memo- riam revocentur, quæ de libertate plu- ribus in locis diſputavimus. Percurre, ſi mente exciderunt, libri iv. caput ul- timum libri x. caput 13. libri duodecimi caput 10. & libri xvi. caput 2. His in locis conati ſumus demonſtrare primo ad libertatis eſſentiam requiri poſſe age- re, & non agere, quoniam liber non eſt, qui non eſt dominus ſui actus, qui non habet poteſtatem motum volunta-

tis ſuæ cohibendi, qui non poteſt optio- ne ſua eligere utrumlibet: quare eſt vo- luntas, ut natura eſt, ſola trahatur vo- luptate qua in bonum neceſſario tendit; ut tamen eſt illa facultas, quam appella- mus *liberum arbitrium*, agit indifferen- ter, & habet ſuorum operum electio- nem perfectumque dominium. Dixi- mus præterea voluntatem ferri erga bo- num in communi naturali neceſſitate, eo- quod extra bonum, qualecunque tan- dem illud ſit, digredi nullatenus valeat; eademque naturali neceſſitate adherere ſummò bono in ſe inſpecto, propterea quod nequeat in illo apprehendere ſpe- ciem aliquam mali, ideoque non conſi- ſtat cum manifeſta contemplatione divi- nitatis indifferentia judicii. Ex quibus animadvertimus libertatem, ut eſt in- differens poteſtas, attendendam eſſe ſo- lummodo comparate ad media, quæ ad conſecutionem finis eliguntur, & con- ſequenter nihil aliud eſſe, quam vim, & poteſtatem electivam mediorum. Ex eodem capite, quod media eligantur ra- tione finis, certiffime inferri diximus, non ſpectare ad eſſentiam libertatis poſſe peccare, quoniam peccare eſt à recto fine deſlectere, ideoque non perfectio li- bertatis eſt, ſed defectus, quemadmo- dum vitium eſt ac defectus intellectio- nis ratiocinia contexere non ſervata con- nexione principiorum.

Sane medium quod à voluntate pro fine conſecutionis eligitur poteſt dupliciter conſiderari, nimirum in ſe quatenus in- differens eſt, & prout aliqua ſuppoſitio- ne facta neceſſario connectitur cum ipſo fine. Sufficit autem ad libertatem, quod medium ſit indifferens ſecundum ſe, li- cet ex ſuppoſitione cum fine connexum ſit, nec poſſit abſque noxia mutabilitate non eligi. Atque id in omni agente libero eſt manifeſtum. Liber eſt enim Deus ad creandum, vel non creandum. E G. hominem, quoniam, homo non habet cum ipſo Deo neceſſariam conne- xionem: at poſito decreto, cum Deus immutabilis ſit, non poteſt hominem non creare, quia res futura cum divina præ- definitione connectitur; & nihilominus creatio hominis libera eſt, propterea quod homo in ſe inſpectus eſt divinæ vo- luntatis objectum indifferens. Liber eſt Angelus ut hoc, vel illud munus exer- ceat, cum nulli ſit neceſſitate addiſtus: at ſi Deus præcipiat ut ad cuſtodendum hominem deſcendat, cum non poſſit Creatori, cui jam immutabiliter adhæ- ret, repugnare, non poteſt non ſuſci- pere cuſtodiam hominis; quæ tamen li- berri-

17.  
Sufficit in-  
differentia  
medii ſecun-  
dum ſe.



herrima est, quia secundum se est indifferens objectum voluntatis angelicæ. Liber est homo ut sine culpa ducat uxorem, vel religiosum institutum completatur: facto tamen voto Religionis, non potest absque peccato illud non exequi: exequitur tamen plenissima libertate, quoniam religiosa vita est secundum se objectum indifferens voluntatis humanæ. Hujus rei manifesta ratio est, quoniam si necessarium esset ad libertatem, ut possit omitti actus non solum spectatus in se, verum etiam prout habet connexionem cum decreto, aut præcepto divino, foret de essentia libertatis posse peccare, & eligere media non servato, ac prætermisso ordine finis, quod est proculdubio falsissimum.

18.  
Christus liberè fuit  
mortuus.

Est itaque sententia nostra Christum Dominum plenissima libertate fuisse mortuum, quia poterat mortem subire, & vitare, quoniam spectata ipsa morte secundum se, erat illa voluntatis ejus objectum indifferens, cum plura alia eligi potuissent ad finis consecutionem, quamquam supposito decreto ac præcepto patris non posset non mori, in quantum mors cum ipso decreto, vel præcepto connectebatur. Atque hanc sententiam propugnant Vincentius Baronius in dissert. de humana libertate, & gratia, Contenson. de Incarnat. dissert. 6. Ant. Massoulie in D. Thoma sui Interprete disp. 11. q. 8. J. B. Du-Hamel lib. 111. de Incarnat. cap. ult. alique viri docti. Esse autem sententiam D. Thomæ liquet ex iis, quæ nos ipsi de libertate scripsimus libro xvi. adv. hæresim Calvinianam.

19.  
Probatur r.  
ex scripturis.

Sententia ista, quamvis non alia opus habeat confirmatione, comprobari primo potest ex Scripturis. Nam ipse Salvator Matth. xxvi. 53. Petro suam in moriendo libertatem confirmans ait: *An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quibus verbis aperte innuit, quod spectata in se morte, atque potestatis suæ dignitate poterat hostes omnes prosternere, atque se insidiis illorum subtrahere. Verum addidit nunquam se id facturum, quia positis jam prædefinitionibus divinis, prædictisque per ora Prophetarum, ipse qui venerat legem implere, & facere voluntatem ejus, qui eum miserat, non debebat statutis summi Dei reluctari; ideoque ait: *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* In hoc itaque sita est Christi libertas, quod ple-

nissimam habebat vel moriendi, vel non moriendi potestatem; tametsi spectata morte quatenus definita, ac præcepta non poterat non mori, quoniam transgredi non poterat divinarum promissionum jota unum, vel apicem. Eodem pacto Joannis x. 18. inquit Salvator, *Potestatem habeo ponendi animam meam*, atque id libertatis ejus invictum est argumentum: at ne quis inferret posse illum transgredi paternum præceptum, aut hoc præceptum non dari, inquit eo loci: *Hoc mandatum accepi à patre meo.*

Probatur deinde ratione. Libertas 20.  
enim est electio mediorum, quæ cum Ex ratione.  
non sint summum bonum, ac finis ultimus, sunt natura sua objectum, quod voluntati proponitur cum indifferentia judicii, & ideo in ipsorum electione relucet potestas, optio, & dominium eligentis. Quod si Deo præscribente, ac mandante hoc determinate medium sit eligendum, stat adhuc electionis potestas, quoniam Dei præscriptio, ac mandatum non facit ut medium ipsum appareat menti per se summe bonum, ideoque non evertit quod intrinsece constituit libertatem indifferentiæ, sed tantum dirigit medium illud ad certam finis consecutionem: à qua non est necesse quod liberum arbitrium possit defletere, imo cum in finem trahatur naturali necessitate, non potest non eligere medium, quod posita divina præfinitione unice ad finem conducit: & nihilominus eligitur plenissima libertate, quoniam non est ipsum medium, sed finis, qui in se necessarium amorem voluntatis convertit, & attrahit; atque etiam majori indifferentia media ipsa eliguntur, cum voluntas intimius infinito bono adhærescit, quia minus diliguntur terrena, quo magis possidentur cœlestia. En totum libertatis systema. Atqui mors Christo proposita non exhibet plenitudinem voluptatis, neque præceptum efficit, quin illa tristitiam, & amaritudinem pariat. Ergo etiam præcepto supposito mors indifferentia libertatis eligitur; quamquam spectata connexione finis ac proposito legem implendi, Christi peccandi nescia voluntas non potuerit non mori. Possunt ad hanc argumentationem reduci pervulgata Scholasticorum ratiocinia, quod divinæ præfinitiones, ac præcepta non immutant naturalem potestatem operandi, sed efficiunt duntaxat, ut medium, quod libere eligitur, ponatur actu, atque ad finem conducatur.

Tandem



21.  
Confirmatur.

Tandem confirmatur aſſertum noſtrum explodendo aliorum placita. Quid enim hac noſtra aſſertione probabilius? Num Chriſto impoſitum non fuiſſe rigorosum mortis præceptum? Fruſtra quidem hoc fingitur. Ait idem Salvator, *Hoc mandatum accepi à patre meo, & Apoſtolus ad Philipp. 11. 8. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Obedientia autem mandatum ſupponit. Eſt etiam perfectius mori ex obedientia, quam ex electione, ideoque negantes præceptum ut facilius explicent libertatem, derogant Chriſti meritis. Præterea etiam ſi Chriſto non fuiſſet impoſitum rigorosum præceptum, ſed conditionatum tantummodo, ſive ab ejus acceptione dependens, in eandem omnino difficultatem impingeret diſputatio. Habens enim Chriſtus concordiſſimam cum Patre voluntatem, quomodo poterat mortem refutare, cognoscens ſe miſſum in mundum, ut pro hominum redemptione funderet ſanguinem? Verum quod Chriſto impoſitum fuerit moriendi præceptum Scriptura aperte declarat, neque oppoſitum evincunt quorundam Scholaſticorum contorta ſophismata. Neque illud reponi poteſt propoſitam ſub præcepto mortem, non circumſtantias; quandoquidem circumſtantiæ ipſæ priusquam Chriſtus conciperetur, fuerunt per Iſaiam prænuntiata, neque Apoſtolus ait tantum Chriſtum præſtaſſe obedientiam *uſque ad mortem*, ſed qualitatem etiam mortis designans addit, *mortem autem crucis.* Fuerat ergo prædefinita mors, & mortis quælibet circumſtantia, ipſumque crucis patibulum. Conſimili ratione faciliſſimum eſt alias opinionationes reſellere.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

22.  
Objectiones.

Militant adverſus ſententiam noſtram hæc argumenta. Primum: Si Chriſtus poterat non mori, poterat etiam transgredi præceptum patris. Si poterat transgredi præceptum patris, poterat peccare. Igitur ſi Chriſtus poterat non mori, etiam peccare poterat. Alterum huic affine: Promeruit Chriſtus moriendo, & adimplendo mandatum patris: ait enim Joan. x. 17. *Propterea me diligit pater; quia ego pono animam meam.* Atqui ad merendum requiritur libertas indifferentiæ, ſcilicet poſſe agere, & non agere. Potuit ergo Chriſtus non mori, & non adimplere mandatum Patris. Tertium parum abſimile: Mors connectitur cum præcepto. Non potuit Salvator præſtare.

R. P. Berti Theol. Tom. V.

ceptum violare. Itaque non potuit non mori.

Hæc jam fuerunt expedita: ſed claritatis gratia ad primum diſt. ma. Si Chriſtus poterat non mori morte in ſe inſpecta, poterat etiam divinum mandatum transgredi, nego: ſi poterat non mori ſpectata connexione mortis cum præcepto, conc. majorem. Ad alterum diſtinguo minorem: Ad merendum requiritur libertas indifferentiæ, ſervato ordine finis, id eſt, poteſtas eligendi unum, vel alterum mediorum quæ valeant ad finem perducere; concedo: requiritur libertas indifferentiæ, prætermiſſo, ac perturbato ordine finis, nimirum poteſtas abjiciendi media ſub ea etiam ratione, qua cum ipſo fine habent ex Dei propoſito ac præcepto firmiſſimam connexionem, nego. Ad tertium pariter diſtinguo conſequens; Potuit ergo Chriſtus non mori, ſpectata morte in ſe ipſa, conc. conſiderata, ut ſubeſt præcepto, ſubdiſtinguo: atque præceptum iſtud inducit neceſſitatem moriendi attenta ipſa morte, & voluntate mortem eligentis, nego: conſiderata connexione finis, & voluntate ſummo bono immutabiliter adhærente, concedo conſequentiam. Oportet ergo ad ſolutionem iſtiusmodi argumentationum, quæ tardiores mentes ſolent plurimum vexare, ut diligenter conſideretur mors in ſe ipſa, quatenus nequit proponi niſi cum indifferentia iudicii; & quatenus cadens ſub præcepto nequit vitari, niſi perturbato ordine finis. Primum ad libertatem neceſſario requiritur; alterum ſi deſit, non eſt libertatis interitus, ſed perfectio. Similiter in executione præcepti conſiderari debet motus voluntatis, in quantum fertur in opus, quo præceptum ipſum completur; & in quantum medio hoc opere fertur in finem. Priori modo motus voluntatis tendit in media, altero modo non in media, ſed in finem tendit. Quoniam igitur libertas, ut diximus, in ordine tantum ad media ſpectatur: ut Chriſtus dicatur pleniffime liber in adimplendo præcepto, ſat eſt quod ejus voluntas fuerit prædita libera poteſtate relata ad operis præcepti executionem, tamen ſi non poſſet præſcriptum opus omittere, quatenus illud implendo perfecta unionione ultimo fini adhærebat.

Rurſus oppones. Actus voluntatis Chriſti prout in finem ultimum tendit neceſſarius fuit, non enim poterat à fine ultimo deviare. Sed præceptum patris implevit voluntate in finem ultimum tendente. Igitur præceptum adimplevit actu neceſſario. Reſpondeo me jam explicatione

23.

Reſpondetur

24.

Rurſus obijciatur

&

Reſpondet;

P

plicaſſe



placuisse quo pacto voluntas in finem tendat naturaliter, in media autem per electionem, atque dixisse eligi media ratione finis; unde consequitur voluntatem diverso actu fini adherere, & mandata servare. Quare distinguo minorem: implevit Christus præceptum patris voluntate ultimo fini adherente eodem actu, quo implevit præceptum, nego: actu diverso, concedo. Dico autem actum *diversum* connotative, quemadmodum Deus diverso modo amat semetipsum & creaturas, quamvis amor creaturarum sit ab amore sui ipsius re ipsa indistinctus; & rationalis creatura diverso pacto amat beatitudinem, & bonum particulare, licet unius amor in amore alterius contineatur.

25.  
Alia instantia.

Ultimo objicies. Expedita est via conciliandi Christi libertatem cum præcepto, si dicamus sufficere ad meritum libertatem lubentiae; non enim ad Christum referenda est damnata iv. propositio Janseniana, manifesto de hominibus naturæ lapsæ prolata. Sufficere autem in Christo hanc libertatem demonstrari potest auctoritate, & ratione. Sanctus enim Thomas in 111. dist. 18. art. 2. ad 5. ait. *Dicendum quod etiam si liberum Christi arbitrium esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amisit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tendit, & ita est actus sui dominus.* Et quidem ex nostris principiis Christus Deum necessario diligebat, quia illum intuebatur in se, ideoque non erat in hujusmodi amore indifferentia iudicii. Si ergo promeruit servando præcepta, promeruit diligendo Deum, quod est præceptum primum ac

maximum, & consequenter habuit meritum absque libertate indifferentiæ.

Resp. nos hanc sententiam, quæ nonnullis recentioribus placet, repudiare tanquam Jansenianam. Disputavit quidem Jansenius de libertate hominis lapsi sub dominatu concupiscentiæ, vel gratiæ; sed iisdem principiis argutabatur, quod ad essentiam libertatis non pertineat indifferentia, obtrudens hæc eadem exempla libertatis Dei, Christi, ac Beatorum. Nos hunc errorem refutavimus libro xvi. permultisque argumentis etiam ex D. Thoma petitis ostendimus non dari absque libertate indifferentiæ potestatem liberi arbitrii, non solum in nobis, sed neque in Beatis, neque in Deo. Auctoritati Divi Thomæ, quæ nunc objicitur, illic cap. 3. cumulate satisfecimus. Quod additur de actu charitatis, & amoris Dei non una responsione diluitur. Sunt qui in Christo, sicut duplicem scientiam, ita duplicem amorem distinguunt, & necessarium unum derivatum ex visione beata, liberum alterum proficiscentem à scientia viatoris aut infusa, aut acquisita. Huic ergo amori, non illi, tribuunt rationem meriti. Alii defendunt, Deum prout est summum bonum, necessitate ab iis amari, qui illum facie ad faciem intuentur; diligunt tamen libere hoc, aut illo actu ad creaturas relato. Demum aliqui distinguunt inter actus à charitate elicitos, & inter actus imperatos, id est, inter illos, qui dilectione tendunt immediate in finem ultimum, & illos qui dilectione finis spectant ad exercitamenta virtutum; actibus ergo à charitate directis & imperatis concedunt meriti laudem, quam actibus elicitis denegant. Utere pro libitu his responsionibus nunquam indifferentiam à libertate arbitrii disjungens.

### C A P U T XIII.

De Hæresibus adversus Unionem hypostaticam pugnantibus, ac primum Nestoriana.

#### S U M M A R I U M.

1. 2. & 3. Ponuntur præliminaria.
4. Propositio 1. probatur.
5. Usque ad 11. defensoribus Nestorii respondetur.

11. 12. & 13. Probatur unitas personæ in Christo.
14. & seqq. Respondetur sophismatibus Nestorii.

1.  
Doctrina  
Nestorii.

**A**BSOLUTA de corpore & anima Christi dotibusque adherentibus disputatione, pertractandum modo est de mirabili humanæ naturæ cum divinitate unione, cum recta methodus possit, ut à partibus ad rem complexam progrediamur. Principio autem refutanda occurrunt Nestorii, & Eutyche-  
tis nefaria dogmata. Nestorius ex

Monachò Sacerdos primum Ecclesiæ Antiochenæ, deinde vertente anno 427. renuntiatus Constantinopolitanus Episcopus, cœpit circa hæc tempora spargere præconceptæ hæreseos venena. Eo enim sedente Anastasius Presbyter differens in Templo ad populum hortatus illum est, ne Beatissimam Virginem *Deiparam* appellaret, ut principio Ecclesiasticæ Historiæ



storiæ refert Evagrius. Venerat autem Anastasius Constantinopolim una cum Nestorio, ejusque semper usus fuerat consuetudine, ita ut fuerit unus ab altero pestiferis imbutus erroribus, jam antea sparsis ab Ebionitis, Samosatensibus, atque à Nestorii præceptore Theodoro Mopsuesteno. Accessit horum satelles Dorotheus, qui pro concione ausus est inclamare, *Si quis Mariam Deiparam dixerit, sit anathema*. Illud ergo fuit capitale dogma Nestorianum. Revocarunt quidam in dubium, num in refutanda pertinaciter *Deipara* voce Nestorius tantum erraverit; an vero asseruerit Dominum Jesum à primo conceptionis instanti non fuisse vere & proprie Deum Verbum, neque naturam humanam fuisse substantialiter divinæ conjunctam in unitate personæ. Quod foret sane repudiandi vocabulum *Deipara* causa princeps.

2.  
Monetur Nestorius à Pontifice.

Oppugnantibus compluribus Nestorianam blasphemiam, & rumore serpentis hæresis ad Cælestinum Papam delato, is per literas Nestorium ad resipiscentiam, errorisque retractationem hortatus est, indicta post decem dies communionis Ecclesiasticæ privatione. At spretis Romani Pontificis literis eadem, ac deteriora dogmata palam evomuit, etiam sanctum Cyrillum, qui adversus Nestorium ipsum capitula quædam conscripserat, ut Apollinaristam, Arianumve traducens. Tanta Nestorii pervicacia probos, fideique servatores permovit, ut se ab ejus communione segregarent; quod ille tam ægre tulit, ut non solum ad Generalem Synodum provocarit, verum etiam adversarios suos, nulla habita ratione dignitatis vel ordinis, traderet victos Præfecto Urbis flagris immani crudelitate cadendos. Verum annuente Cælestino coacta Synodo universali, quæ est celebris Ephesina celebrata anno D. 431. audax ille homo non comparuit; ac privatus Ecclesiasticis infulis exul ac profugus, dum in blasphemias erumperet, efflavit animam.

3.  
Status questionis.

Nestorii fama & vetus consuetudo impulit Joannem Antiochenum Antistitem, ut susciperet perditissimi hominis patrocinium. Sero itaque ac diu expectatus Joannes Ephesum venit, stipatus Episcopis aliis, factionis præsertim Pelagianæ, atque Nestorio addictissimis: rejecit damnationem Nestorii factam à Synodo, & Cyrilli Capitula proscriptis tanquam hæretica, aliaque plura patravit, quæ de eo ingerunt suspensionem. Attamen quia fidei suæ optima alias præbuit ex-

R. P. Berti Theol. Tom. V.

perimenta, ac tandem etiam cum Cyrillo foedus inijt; merito quaeritur an vera hæresim probaverit Nestorianam. Plura de hac hæresi, ejusque fortuna tradunt Sacri omnes Historici, nec non Dionysius Petavius lib. 1. de Incarnat. cap. 7. & 8. atque ex nostratibus Christianus Lupus in Scholiis ad Synodum Ephesinam, & Norisius in Controversia *De uno ex Trinitate passio*, quæ magna contentione adversus Nestorianos fuit agitata. Est ergo inquirendum primo de ipso errore Nestorii, an negaverit Christum esse substantialiter Verbum, sublata inter utramque naturam hypostatica unione: deinde idem error est refellendus: videndum postea an Virgo sit appellanda *Deipara*; posthac an Cyrillus Nestorianos exagitans in oppositam hæresim lapsus fuerit: denique an Joannes Antiochenus ejusque fautores sint hæreticis connumerandi. De controversia enim circa *Unum de Trinitate passum* dicam libro proximo, differens de propositionibus, quæ possunt de Christo Reparatore enuntiari.

PROPOSITIO I. Nestorius vere negavit Verbum Deum in unitatem personæ humanam assumpsisse naturam, atque Virginem Mariam proprie appellandam esse *Deiparam*. 4.  
Propositio I.

Probatur non solum communi Scriptorum clarissimorum suffragio, Leonis Magni, Vincentii Lirinensis, Cassiani, Evagrii, Liberati Diaconi, Facundi Hermianensis, aliorumque Nestoriano sæculo proximiorum, atque ex judicio Apostolicæ Sedis, & Ephesinæ Synodi; verum etiam ipsius Nestorii scriptis, doctrinisque perversis; unde hæc argumenta promuntur. I. Qui asserit hominem à Virgine genitum non esse Deum Verbum, sed Deum Verbum in illo homine habitavisse, proculdubio personas dispescit, atque inter utramque statuit solam unionem moralem. At Nestorius asseruit Virginem non peperisse Deum Verbum, sed hominem tantum, in quo Deus Verbum inhabitaverit. Igitur Nestorius plures constituit in Christo personas, & negavit naturæ humanæ cum divina unionem substantialem. Minor probatur ex primo Nestorii adversus S. Cyrillum anathematismo: *Si quis eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, & non potius Nobiscum Deus, hoc est inhabitasse eam, quæ secundum nos est, naturam, per id quod unitus est nostræ, quam de Maria Virgine suscepit: Matrem etiam Dei Verbi, & non potius ejus, qui Emmanuel est, nuncupaverit; ipsumque Dei Verbum*

P 2

Verbum



*Verbum in carnem verum esse, quam accepit ad ostentationem Deitatis suae, ut habitu inveniretur ut homo, anathema sit.* Præterea negabat Nestorius Christum, quem Virgo peperit esse Deum, affirmans plenum fuisse divinitate eo sensu, quo Joannes Baptista plenus fuit Spiritu sancto, ideoque non plus sacram Virginem dicendam matrem Dei, quam matrem Spiritus sancti Elisabetham, ex Virgine autem Deum processisse atque emicuisse, non autem natum. Atqui inter Joannem Baptistam ac Spiritum sanctum non fuit unio substantialis. Igitur in sensu Nestorii nec fuit talis unio inter hominem, quem genuit Maria Virgo, atque inter Deum Verbum. Major probatur ex verbis Nestorii recitatis ab Evagrio, & Theodoro Episcopo Ancyrano: *Egone eum qui spatii menstruis adoluerit, Deum appellavero?* atque ex Relatione Cleri, & populi Constantinopolitani, quæ talis est: *Hominem illum in matris utero fuisse fatetur plenum Deo Verbo, quomodo Joannes Baptista plenus Spiritu sancto, &c.* Similiter in libro ab ipso Nestorio conscripto, & perlecto Act. 1. Synodi Ephesinæ, asseritur Christum eadem ratione dici filium Dei, quemadmodum Moyses appellatus est Deus Pharaonis, & Saul, ac Cyrus Christi nomen obtinuerunt. Tertio qui duas in Christo personas distinguit, quarum una sit Dei serva, neque appellari possit Unigenitus Dei filius, altera sit Domina, neque vocari possit filius Virginis, aut Redemptor pro humano genere crucifixus, is proculdubio negat utramque naturam divinam & humanam conjunctas esse in unitate personæ. Hæc omnia Nestorius protulit. Ait enim Anathematismo v. non esse unum Dei filium, qui natus est ex Virgine, & quem Pater genuit ante Luciferum: *Si quis unum esse post assumptionem hominis naturaliter Dei filium audeat dicere, cum sit Emmanuel, anathema sit.* Idem tradit anath. vii. & x. Quarto non sufficit ut dicatur Nestorius admisisse in Christo hypostaticam unionem, quod asseruerit Verbum tanquam in templo habitasse in humanitate, nec sufficit admisisse tantummodo vocabula unionis, dignitatis, auctoritatis, æqualitatis: imo hæc demonstrant multitudinem personarum, quemadmodum Sancti, qui templum sunt Spiritus, & quibus ait Apostolus, *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*, non sunt eadem cum Spiritu sancto persona, nec eadem persona sunt duo viri vel amicitia conjuncti, vel pares dignitate atque honore. Nestorius autem in Epistola ad Cyrillum, quæ ex-

tat 1. p. Concilii Ephesini, docuit Verbum Deum in Christo homine tanquam in templo habitasse, atque ideo unum ab altero fuisse inseparabile, quia *Templum illud nunquam fuit aliquo peccato contaminatum*; addiditque se in Christo honorem atque cultum non separare, quoniam homo Deum gestabat, ita ut Deifer fuerit, non Deus, Dominicus, non Dominus, neque dividenda sit adoratio propter solam conjunctionem auctoritatis & dignitatis. Igitur Nestorius hypostaticam unionem duarum naturarum penitus oppugnavit. Insuper Nestorius, tametsi in sermone quodam execratus est hæresim Pauli Samosatensis, attamen in publica Contestatione proposita à Clero Constantinopolitano, in Collect. Conciliorum Ph. Labbei Tom. 111. pag. 337. convictus est has capitales blasphemias cum Paulo pronuntiasse: *Maria Verbum non peperit. Qui fieri queat, ut Maria ex se genuerit antiquiorem se? Qui ex Virgine natus est, homo est.* Ac facta collatione assertionum Pauli ac Nestorii ibidem concluditur: *En Paulo Samosateno hæretico, qui alium asserit esse Verbum, & alium Jesum Christum, neque unum esse ut orthodoxa proficitur Ecclesia, plenissime adstipulatur.* Postremo si attendantur Nestoriana principia, simul apparet non potuisse hunc hæresiarcham inter Filium Virginis, ac Filium Dei unionem aliam fateri præter moralem, atque existimasse ex Catholica doctrina fieri consequens, ut vera sit hæresis Apollinarij autumantis divinitatem in humanitatem fuisse conversam; ideoque nil ad purgandum Nestorium valet, quod ubique Arium, & Apollinarium infectetur. Enimvero cum Paulo Samosatensi, Photino, aliisque superiorum ætatum hæreticis opinabatur Nestorius non posse naturam propria subsistentia exspoliari, ac propterea hæc erant ejus verba apud Cyrillum in Epist. ad Successum, *Si Christus perfectus Deus, idemque perfectus homo intelligitur, ubi naturæ est perfectio, si hominis natura non subsistit?* Igitur Nestorius cum duplicem in Christo naturam adversus Apollinarias fateretur, debebat ex falso illo principio, quod natura sine propria subsistentia sit imperfecta, inferre, quod in Christo duplex subsistentia debeat admitti. Illud etiam ex Nestoriano principio erat consequens, quod Maria non sit vere Deipara; nam cum Verbum Deus non possit habere initium subsistentiæ ex muliere, & alias hæc pepererit filium hominem, in quo natura & subsistentia creata juxta Nestorium inveniebatur, non poterat



poterat ipse percipere sacram Virginem esse Dei genitricem, cum non genuerit nudam & seorsim positam divinitatis naturam, ut refert S. Cyrillus in suo Apologetico.

QUAE PROFERUNTUR IN DEFENSIONEM NESTORII.

5. Obijciunt in defensionem Nestorii.

At rectam fidem Nestorium incorruptam servasse, posset quis contendere illustribus testimoniis, atque ejusdem Nestorii contestatione ac doctrina. Testimonia vero sunt quæ sequuntur. Joannes Antiochenus in Epistola ad Nestorium, quæ extat in Synodo Ephesina, illum hortatur ut sacram Virginem Mariam appellare non detrectet Deiparam, quandoquidem compertum sibi foret ex relatione multorum, qui illum non infrequenter audierant, quod ipsam solam vocem, non piam quoque ipsius vocis notionem averfaretur. Atque in Epistola ad Firmum, quam scripsit Joannes posteaquam Catholicis accesserat, edita à Garnerio dissert. v. de Causa Theodoret, *Sapiebat, inquit, sic prius sanctissimus Episcopus Nestorius, sicut res ipsæ docuerunt. Cavebat vero nomen, veluti dare posset, unde nos sequaces hæretici Apollinarii reprehenderent. Quia vero sic & ante sapuit, inde convincitur, quia cito constitit admonentibus nobis, & ipsum nomen accepit, & in duobus sermonibus sanam fidei expositionem, & irreprehensibilem nobis direxit.* Theodoretus in Epistola ad Alexandrum Hieropolitanum ait immerito venerabilis, & sanctissimi Episcopi Nestorii dogma fuisse damnatum. Rectum Nestorium tenuisse sensum testatur etiam Acacius Episcopus in Epistola ad Cyrillum, & alii, de quibus noster Lupus in Schol. ad Syn. Ephesinam. Etiam Socrates lib. vii. H. E. cap. 32. hæc de Nestorio profert: *Meo quidem judicio neque Paulum Samosatenum, neque Photinum imitatur, neque Dominum hominem solum esse dicit, sed vocem duntaxat Deipara tanquam larvam reformidat.*

6. Respond.

Resp. hæreticos omnes, & maxime Nestorium, cui in faciem restiterant ex ipso Clero Constantinopolitano viri doctrina & pietate præclari, verborum involucris, & specioso insectandi damnatas hæreses prætextu proprias summa fraude occultasse. *Sunt enim illi, (inquit Synodus Ephesina in Relatione missa per Palladium ad Theodosium,) qui diversa à recta fide sentiunt, adeo callidi, ut quidam quoque sanctissimi Episcopi occultato errore à Nestorio decepti sint, eique se adjunxerint; qui tamen postquam dilucide quid sentiret essent percunctati, il-*

*lumque suas blasphemias reagentem compersissent, ab eo desciverunt, Synodo se adjunxerunt, patefactaque ejusdem blasphemia condemnationis sententiam adversus illum tulerunt.* Inter prædictos Episcopos connumerandos esse Joannem Antiochenum, ac Theodoretum, demonstrabimus infra. Scripsit vero Joannes ad Firmum post acceptam Nestorii Epistolam, in qua callidus hæreticus scripsit, se concedere ut Virgo Dei Genitrix nominetur propter unitonis rationem, non juxta sensum Apollinarii vel Arii; quæ confessio decepisset unumquemque, cui non esset manifestum qualem unitonem Nestorius adstrueret, & cur Apollinarii, Ariique sensum execraretur: quod nos in postrema argumentatione explicavimus. Hinc inita pace cum Cyrillo, Joannes omnes hæretici tergiversationes detexit atque proscripsit: & etiam Theodoretus, qui impense partibus Nestorianis studuerat, cognita nequitia Nestorium tetulit inter hæreticos lib. iv. cap. 12. Hæreticarum fabularum. Cum potuerit ambiguus Nestorii sermo decipere tales Præsules, nil mirum, quod lætando ejus opuscula Socrates hominem illum potius imperitum, quam impium existimaverit.

Ex doctrina Nestorii possunt hæc ad ipsius defensionem urgeri. I. In sermone quem habuit Constantinopoli causam reddens cur potius sacram Virginem appellaret *Christotocon*, quam *Theotocon*, id est Christi genitricem, non Dei, ait: *Quoniam Christus, id est, hoc appellationis nomen significativum est utrorumque, id est, Dei & hominis.* Addit sequi se exemplum Evangelistæ, qui non ait, *Liber generationis hominis, ne purum nobis hominem videretur ostendere, neque Liber generationis Verbi Dei, ne Divinitatem nobis ex parte humanitatis induceret.* II. In serm. altero apertissime proficitur in Christo unitatem personæ dicens: *Christus indivisus est; non enim habemus duos Christos, vel duos filios.* III. Serm. 12. his verbis execratur errorem Pauli Samosatensis: *In stupore dentium remaneat Paulus Samosatensis, qui nobis Dominicam humanitatem nudam à Deitate deliravit.* Hæc omnia ita pro Nestorio possunt opponi. Non errat in dogmate, qui affirmat Virginem Mariam peperisse Christum, in quo Dei, & hominis reperitur natura; & dummodo fateatur advenit Paulum Samosatensem humanitatem Deitati conjunctam, & Christum unum, atque indivisum Dei filium, tenet per omnia fidem Orthodoxam.

P 3

Nesto-

7. Urgetur defensio Nestorii.



Nestorius asserit Mariam esse Genitricem Christi, hunc esse unum atque indivisum, neque habere humanam naturam à divinitate sejunctam. Igitur Nestorius fuit per omnia Catholicus atque Orthodoxus.

8.  
Responde-  
tur.

Resp. Nestorium multiplicem inter Christi humanitatem, ac divinitatem unionem admisisse, nunquam tamen *hypostaticam*, qua utraque natura copulata est in unitate personæ. Admisit enim unionem, quam appellabat *συγάριον*, id est, *societatem*: item consortium & copulationem secundum dignitatem filiationis, & secundum eandem voluntatem, beneplacitum, & *homonymiam*: similiter adunionem & propinquitatem ratione affectionis & amicitiae: unionem pariter secundum inhabitationem veluti in domo, vel templo; ulterius conjunctionem ratione operationis & imperii divinitatis, ad cuius nutum Christi humanitas omnia compleret: demum unionem personalem, non *hypostaticam*, sed tantum secundum coaptationem, cum quis personam subiens alterius ejus vice loquitur, atque operatur. Hæc unionis genera statuisse Nestorium constat ex Cyrillo, Damasceno, Liberato, aliisque laudatis à Petavio lib. III. de Incarnat. cap. 3. Liqueat autem hæc omnia distinctionem personarum demonstrare, quoniam societas, amicitia, affectio, homonymia, propinquitas, & auctoritas, qua aliquis vice alterius loquitur, & alia istiusmodi plures personas significant. Resp. itaque Nestorium in priori sermone affirmare appellationem Christi significativam esse Dei & hominis, non quod Dei genitrix enixa esset Deum Verbum, sed quod peperisset hominem, in cuius persona, tanquam in templo inhabitaret persona Verbi: nam post allata verba eodem sermone ait: *Quoniam sancta Virgo est Dei genitrix ideo, quia illud templum, quod in ea ex Spiritu sancto creatum est, Deitati erat unitum; hominis vero genitrix, eo quod naturæ nostræ primitias assumpsit, &c.* Eodem pacto negavit Christum esse purum hominem, in quantum non est solum templum, in quo Sacerdos inhabitat, neque sola auctoritas Proregis, quæ mandata legesque præscribit. Ad 2. dicimus quod Nestorius admisit unum filium dignitate, honore, adoratione; non natura atque hypostasi: oppositum namque tradidit in V. Anathematismo, de quo supra, Arg. 3. Ad ultimum; tametsi Nestorius execrabatur hæresim Pauli quantum spectat ad Trinitatem divi-

narum personarum, ideoque fatebatur secundam Personam, id est, Verbum Deum societate, dignitate, auctoritate, atque omni alia unionem morali conjunctum fuisse humanitati, quod Paulus negabat: uterque tamen, Paulus ipse ac Nestorius conveniebat in oppugnanda Incarnatione Dominica, ut supra contestatione Cleri Constantinopolitani, & Collatione dogmatum utriusque demonstratum est. Ad postremam argumentationem dist. ma. Non errat in dogmate, qui affirmat sacram Virginem genuisse Deum & hominem, ita, ut Deus & homo sint unus Virginis filius unitate personæ, concedo: ita, ut unus sint unitate morali superius exposita, nego majorem: & distincta eodem pacto minori, nego consequentiam.

Insuper argumentaberis. Nestorius intendebat solummodo in Christo asserere duas naturas distinctas atque impermixtas, Catholicam veritatem propugnans, dummodo Apollinarii, Ariique damneretur impietas. Etenim in Epistola ad Joannem Antiochenum ait ideo negasse se Virginem Mariam esse Dei Genitricem, quoniam sermo, quod dicitur Θεοτόκος à multis hæreticis assumitur ut suus: hos autem hæreticos declarat esse sequaces Arii, & Apollinarii. Deinde asserit se Virginem appellare Θεοτόκον, modum incedens inter eos, qui nominabant Θεοτόκον, ut insinuarent Divinitatem à Virgine sumpsisse initium, & qui appellabant Ανθρωποτόκον, ut ostenderent in Christo nudam extitisse humanitatem; & ideo ait: *Christi eam vocavimus Genitricem, ut hæc vox utrumque manifeste significaret, id est, Deum & hominem.* Addit concedere se, ut pie Genitricem vel Particem Dei Virginem nominemus, sed non juxta Apollinarii vel Arii sensum, quasi divinitas Unigeniti ex sancta Virgine sumpserit initium. Præter hæc Sermone 6. profitetur se probare vocem Θεοτόκον, dummodo sacra Virgo minime dicatur Dea, quomodo dicenda esset in sensu Apollinarii, & si illa peperisset divinitatem, quoniam filius Matri debet esse consubstantialis: *Si quis inter vos, inquit: simpliciter voce Θεοτόκος gaudet, apud me nulla lis est de voce, tantum ne Virginem Deam nominet.* Denique Nestorius in Epistolis ad Cyrillum, ad Coelestinum, atque in sermonibus habitis in Templo Constantinopolitano fatetur Christum esse Deum & hominem, & Virginem Θεοτόκον propter unionem divinitatis, atque humanitatis, tantum non esse Dei genitricem juxta sensum hæreticum Apollinarii.

Resp.

9.  
Aliis argu-  
mentis pro  
Nestorio.



10.  
Responde-  
tur.

Resp. juxta Nestorium, atque ipsius principii suppositis, fidem Catholicam, qua profitemur Deum & hominem unum esse Christum unitate personæ, apertissime esse hæresim Apollinarii. Vidimus enim admissam à Nestorio cum natura humana hypostasim, & substantiam creatam, quæ initium habuerit ex Virgine. Si igitur naturæ humanæ ac divinæ una substantia sit, consequens est in sententia Nestorii, divinitatem habuisse subsistendi initium à Virgine, & divinam naturam conversam in naturam creatam, ut tradidit Apollinarius. Hujus itaque hæresim execrando cum duplici natura duplicem in Christo statuebat hypostasim, duplicemque personam, unam Deum Verbum & Unigenitum Patris, alteram hominem & filium Virginis. Inter utrumque tamen unionem quamdam statuminans unum Christum prædicabat, sed unum per societatem, adnationem, affectum & inhabitationem, & voluntatis concordiam, ita, ut impium esset asserere quod filius genitus à Virgine sit filius Dei genitus ante Luciferum, & filius Dei ante Luciferum genitus, sit pro nobis natus, passus, crucifixus & mortuus, denegata cum unitate personæ etiam communicatione idioma-tum. Hanc esse Nestorianam doctrinam superius est demonstratum. Distinguo itaque propositionem, Nestorius propugnabat duas in Christo naturas, & dummodo damnaretur Apollinarii & Arii impietas, etiam admittebat vocem Θεοτόκον; & ex alia parte arbitrabatur in sensu Catholicorum, qui profitentur duas in Christo naturas subsistere in unitate personæ, contineri ipsam hæresim Apollinarii, concedo: & discrimen ad-mittebat inter Apollinarii hæresim, & sententiam Catholicorum, nego. Pos-trema argumentatio pro theoremate nostro producta difficultatem omnem eliminat.

11. PROPOSITIO II. Admittenda est in Christo una tantum Persona.

Probatur 1. Hujus thes. veritatem comprobant omnia argumenta producta Volumine II. lib. VII. cap. 9. & II. ubi adversus Socinianos demonstratum est Christum esse filium Dei unicum, proprium, eique consubstantialem. Nam si duplex in Christo admittatur persona, divina nempe, & humana; illa necessario erit persona filii naturalis & coæterni: hæc persona filii assumpti, atque adoptivi. Attamen breviter atque directe contra Nestorium, Scripturis, Patribus, ac ratione veritatem Catholicam propugna-

bo. Christum itaque nobis tanquam unicam personam, in duabus tamen naturis consistentem Scriptura divina proponit. I. Apostolus in priori ad Corinthios cap. VIII. 6. ait: *Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* Dixerat autem Joannes cap. I. 3. de Verbo, quod in principio erat apud Deum, *Omnia per ipsum facta sunt.* Igitur persona Domini nostri Jesu Christi, una eademque est cum persona Verbi, quod erat in principio. Compluribus aliis textibus confirmari potest hæc argumentatio. Eodem enim cap. versu 18. utique de Christo inquit idem Joannes, *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit.* Matth. XVI. 16. ait Petrus, *Tu es Christus filius Dei vivi.* Salvator ipse Joan. VIII. 58. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Thomas ipsius vulnera palpans Joan. XX. 28. exclamavit, *Domine meus, & Deus meus.* Apostolus ad Hebræos I. 3. *Qui ex se sit splendor gloria, & figura substantiæ ejus, &c.* Joannes initio prioris Epistolæ: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, &c.* Hæc omnia de Christo nemo dubitat pronuntiari. Ipse ergo non quantum ad humanam naturam attinet, sed quantum ad personam est ipsum Verbum, quod fuit ab initio, quod est splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, quod est verus Deus antiquior Abrahamo, & in æternitate permanens in sinu ejusdem Patris: atque hæc omnia citatis locis vindicavimus ab impiis interpretamentis hæreticorum. II. Nestorium refutat ipsius Domini testimonium Joannis I. 1. 13. *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in Cælo.* Quis enim loquitur? Christus. Ubi erat, dum hæc loqueretur? Inter-ra. Igitur persona Christi quæ loquebatur, est Filius Dei, qui descendit de cælo. Est aliquid aliud in verbis ipsis ad-notandum. Dum hæc Filius hominis in terra loquebatur, erat in cælo: nam inquit, *Filius hominis, qui est in cælo.* At non erat in cælo ratione naturæ humanæ, quam nondum glorificatus ad Patris dexteram collocaverat. Erat itaque filius hominis in cælo ratione personæ, quam proinde cogimur asserere eandem personam esse, ac personam Verbi immensam ac sempiternam. Aliud quoque in iisdem verbis observandum est. τὸ ἀνέβηται, & descendit non est præsentis temporis, sed præteriti, ut liquet ex Græco, ἀδελφὲς ἀναβέβηται εἰς τὸ οὐρανὸν, ὃ ἐκ τῆ οὐρανῆς καταβὰς. Quo autem pacto Filius hominis, dum Nicodemum



num alloqueretur, coelum conscenderat, nisi ratione personæ, quæ sicut descendit accipiens formam servi, ita filium hominis hypostatica unione exaltavit? Huc spectat quod legimus cap. vi. versu 59. *Hic est panis, qui de celo descendit*; & versu 63. *Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius*. Sed legendus de hoc argumento Cassianus lib. iv. de Incarnat. cap. 6. & quæ ibidem adnotavit Gazæus. Illi. Idem confirmant loca, quæ nobis Divini Verbi incarnationem, ac mortem proponunt; cujusmodi sunt Joannis i. 14. *Verbum caro factum est*. I. ad Corinth. 11. 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent*. Ad Philipp. 11. 7. *Semet ipsum exinanivit formam servi accipiens*. Enimvero nisi in Christo una tantum persona admittatur, sed duæ, quas inter sit unio duntaxat moralis, de qua præcedenti propositione; non potest admitti inter divinam, humanamque naturam talis idiomatum communicatio, ut Verbum possit dici incarnatum, crucifixum, & exinanitum; quemadmodum hæc minime enuntiantur de Spiritu sancto, cujus tamen justî sunt templum, atque habitaculum. Verum de communicatione idiomatum infra: interim legite Augustinum i. de Trinit. cap. xii. n. 28.

12. Accedit ad refellendos Nestorianos  
2. Ex Patrum Sanctorum Patrum traditio; de qua plu-  
ra Bellarminus lib. 111. de Incarnat. cap. 6. Jodocus Coccius lib. 11. art. 2. Petavius de Incarnat. lib. 111. cap. 11. Tournely Q. vii. art. 1. omnesque Theologi. Quare necessum non est, ut omnia exscribamus, sed proferendi sunt nonnulli ex Græcis, Latinisque Patribus illustriores, Athanasius, Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus. Athanasius ergo in libro de Incarnat. inquit: *Homo una persona, & unum animal est, ex spiritu & carne concretum; ad cujus similitudinem intelligendum est Christum unum esse, & non personas duas*. Nazianzenus, Orat. xxxi. *Id, quod non erat assumpsit, non duo factus, sed unum ex duobus fieri sustinens: Deus enim ambo sunt, id quod assumpsit, & quod est assumptum: natura duæ in unum concurrentes, non duo filii*. Chrysostomus in Epistola ad Cæsarium: *Et si enim (in Christo) duplex natura; verumtamen indivisibilis unio, in una filiationis persona, & substantia*. Ambrosius de Incarnat. cap. 5. *Non alter ex Patre, alter ex Virgine: sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine*. Hic-

ronymus contra Helvidium: *Natum Deum ex Virgine credimus, &c.* S. P. Augustinus cap. 5. Enchiridii: *Christus Jesus Dei filius, Deus & homo est, Deus quia Dei Verbum, homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, & caro*: & Tractatu 49. in Joannem: *Anima & caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est*. Jure itaque meritoque ex tam apertis Scripturarum testimoniis, atque ex perpetua traditione, quam & antiqui servaverant, & posteriores Patres collustrarunt, proscribere Nestorium Synodus Ephesina, Chalcedonenfis, Quinta Oecumenica; sive Constantinopolitana secunda, atque universalis Ecclesiæ irrefragabilis auctoritas,

13. Confoditur denique hæresis Nestoriana Theologicis ratiociniis. Principio Fi-  
dei Symbola, & Apostolus ad Ephesios 14. 5. aliisque in locis supra laudatis, Dominum Jesum Christum unum esse testantur; & Symbolum præsertim Nicænum, ut observatum à Rufino in Expositione Symboli §. 4. in ea voce *Unum* emphasim quandam constituit, *εἰς ἓνα* *Κυριον Ἰησοῦν Χριστόν*. Si hac fide revincitur error Gnosticorum, qui Christum à Jesu divellentem, ut inquit Irenæus lib. 1. cap. 2. negabant unitatem personæ Salvatoris, cur etiam non refutatur Nestoriana blasphemia? Profecto Gnostici affirmantes Christum Creatoris & Demiurgon transisse per Virginem, ut per canalem affloret aqua, & in illo Jesum ex Pleromate descendisse, atque inhabitasse; nec non Valentiniani, qui autumabant alium esse *Monogenem*, Unigenitum, alium *Logon*, Verbum, & unum in alterum advolasse, antiquis Græcorum Symbolis damnabantur. Atque hinc factum puto, quod Occidentales Ecclesiæ, in quibus Gnosticorum errores non adeo invaluerant, præcæcis sæculis vocem *Unum* communiter non enuntiant. At eandem unionem, quam statuit Nestorius inter Verbum, & Christum, illi hæreticorum aliorum antesignani constituiebant inter Demiurgon & Jesum, sive inter *Monogenem*, & *Logon*; ut res per se loquitur. Fides ergo Apostolica quemadmodum Ebionis, Valentini ac Cerinthi commenta retundit proponens unum Dominum Jesum; ita ab initio Christiani nominis illorum germen Nestorium evidentissime prædamnavit.

Hæc nostra argumentatio fons est, & fulcrum aliarum omnium, quas adhibuerunt in hoc dogmate Viri docti. Sunt illæ,



illæ, quod ſi in Chriſto multiplicentur perſonæ, neque ſit inter iſtas unitio alia, præter eam, quam Græci appellant *κατὰ παραθεσιν*, ſecundum appoſitionem, qualis eſt inter lapides coacervatos, aut inter corpus ejuſque indumentum, ſive inter domum ibique habitantem; non magis eſt unus Dominus Jeſus Chriſtus, quam unum ſint Deus & templum, veſtis & homo, lignum & lapis. Quod ſi in rationabilem animum poſſit cadere; neque unus eſt Chriſtus, neque Verbum caro factum eſt, neque Salvator habuit efficaciam mundum redimendi, neque recte appellatus eſt Dei Unigenitus, neque in myſterio Dominicæ Incarnationis occurrit dignum aliquid divinum, atque admirandum. Id vero cum Chriſtiano- rum aures perhorreſcant; execrari debemus impiiſſimum ſceleſtiſſimumque Neſtorium, non tantum ut Gnoſticorum germen veneficum, verum etiam ut Paganum, Judæum, hoſtemque Religionis noſtræ inſenſiſſimum; quod proximo capite confirmabo.

AD NESTORIANA SOPHISMATA.

14. *Obijciunt* 1. Pro hæreſi Neſtoriana poſſunt ea, quæ ſequuntur, opponi. Primum: Divina Scriptura nobis humanitatem Chriſti deſcribit comparatione templi, tabernaculi, atque indumenti. Ut ergo iſta non habent cum homine ſubſiſtentia communem; ita Dei filius non habet cum aſſumpta humanitate eandem hypoſtaſim. Ant. probatur, quoniam Chriſtus de corpore ſuo ait Joan. 11. 9. *Solvite templum hoc*. Idem Chriſti corpus tabernaculo comparatur Pſalmo x1. 10. & in Epistoſta ad Hebræos cap. ix. 11. necnon habitui & veſtimento ad Philippenſes 11. 7. & Apocalypſis xix. 16. hæc enim loca de humanitate Chriſti Patres, atque interpretes ſolent accipere.

15. *Reſponde-* Reſpondeo etiam comparate ad rationalem animam dici in ſacris literis corpus domum, tabernaculum, indumentum. Apoſtolus enim in 11. ad Corinth. v. 1. ait: *Si terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur*, &c. & infra 4. *Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemſcimus gravati*: & ſimiliter Judæ verſu 23. de corpore vitiis polluto, *Odientes eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam*: quod recte uſurpatum eſt ad commonſtrandam ſpiritualis, & corporalis naturæ diverſitatem. At de Chriſto ob aliam quoque cauſam vocabula iſta enuntiantur. *Templum* corpus ſuum appellavit, propterea quod ſicut Jeroſolimitanum ædificavit Salomon, atque

R. P. Berti Theol. Tom. V.

illud replevit gloria Domini: ita plasmavit Sapientia corpus Dominicum, & in eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, ut inquit Apoſtolus ad Colloſſ. 2. 9. Sicut etiam templum illud poſtquam dirutum fuerat, magna cum gloria fuit iterum ædificatum, ita Chriſtus agens de morte triumphum reſurrexit à mortuis. *Velamen* etiam, & *veſtimentum* dicitur ejus humanitas, quoniam in ea latebat divinitas: quod Apoſtolus demonſtrat citato capite ad Philippenſes, ubi nobis proponit Chriſti humilitatem, *qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*, &c. Vide etiam, quæ diximus adverſus Phantaſtaſtas cap. 2. hujus libri. Diſtinguo itaque ant. Chriſti humanitas comparatur templo, tabernaculo, atque indumento; quoniam diſſolvenda erat per mortem, quoniam in ea habitat plenitudo divinitatis, quoniam ſub ea latebat divina majeſtas; concedo: ita hiſ rebus comparatur, ut denegetur inter divinam, humanamque naturam unio ſubſtantialis & *hypoſtatica*; nego antecedens.

Præterea videntur Neſtorianum dogma confirmare complures ſententiæ Patrum: *Obijciunt* 2. quorum aliqui cum Baſilio in Sermonem de Spiritu ſancto ad Amphilo- chium, & in explicatione quinquageſimi noni Pſalmi appellarunt Chriſtum hominem *Deiſerum*, ut adverſus anathematifimos Cyrilli ait Theodoretus. Alii cum Auguſtino lib. xi. de Civit. Dei cap. 2. ſcribunt filium Dei *hominem* aſſumpſiſſe; alii demum cum Chryſoſtomo Hom. 3. in Epistoſtam ad Hebræos affirmant Deum, & hominem *duas eſſe perſonas*.

At hæc non ſunt alicujus momenti. Baſilius enim non hominem *Deiſerum* appellat Chriſtum, ſed *Σαρραδρόμορον*, *Carnem Deiſeram*, eoquod revera humana caro ſit unita *hypoſtati*ce Deo Verbo: quamquam ſi *hominem Deiſerum*, aut Baſilius, aut alius dixerit, oppoſuit vocabulum iſtud Apollinario, qui à Verbo aſſumptam denegavit animam rationalem; ideoque Chriſtum adverſus Apollinarifas quidam hominem *Deiſerum* appellarunt. ne quis crederet divinum Verbum ſolam carnem absque anima rationali, quæ humanæ ſubſtantia pars eſt præcipua, ſibiſmet copulaſſe. Ad commonſtrandam in Chriſto perfectam humanitatem corpore, animoque conflatam, à Verbo aſſumptum hominem Patres tradiderunt; ideoque per τὸ *hominem* non ſigni-

Q



significarunt hypostasim, sed naturam. Et de Augustino nulla quidem occurrit dubitatio; cum eo loci probet ideo Christum esse Mediatorem Dei & hominum, quia in unitate personæ duas habet naturas; hominis, qua est via perveniendi ad Deum, & Dei, ad quam homines pervenire appetunt; ideoque ait: *Sola est adversus omnes errores via munitissima, ut idem ipse sit Deus, & homo, quod itur Deus, qua itur homo.* Chrysostomus denique ex Epistola ad Hebræos refellit pervicaciam Judæorum, qui negant venisse promissum Liberatorem, hæreticosque illius ævi, præsertim Paulum Samosatensem, & Marcellum Photinianum, qui oppugnarunt divinarum personarum distinctionem. Scribens ergo duas esse personas, Deum, & hominem, quod ibidem bis affirmat, contra Judæos primum, deinde contra Marcellum; significat primo, præter Deum invisibilem qui Christum unxit, esse Deum hominem qui à Patre unctus est, exponens ea verba, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus:* deinde inquit plures dari personas secundum *hypostasim* divinas, Filium nimirum & Patrem; atque ita mysterium Incarnationis & Trinitatis collustrat. Quare errant, qui putant accipi à Chrysostomo *Personam* pro *natura*; quod omnino apud Chrysostomum inusitatum est, & liquet ex repetitione ejusdem sententiæ contra Photinianos: dum enim ait S. Doctor, *ὁμοῦ πρόσωπα, duas personas* esse Patrem & Filium, oppugnans Marcellum proculdubio demonstrat per *τὸ πρόσωπα* hypostases, non discrepantes naturas. Qui vero cum Sixto Senensi lib. vi. Biblioth. S. Annot. 329. Vellofio Adv. in Tom. 1v. Chrysostomi quæst. 29. aliisque doctis viris arbitrantur verba Chrysostomi in Græcis codicibus fuisse depravata, etsi id conantur ostendere ex Theophilacto, & ex verborum antithesi, manifestæ rationis patrocinio destituuntur.

18. Nestoriani insuper objiciunt: Christus perfectus homo est; perfectio autem hominis ubi est, si natura humana nequaquam per se subsistat? Imo si natura illa propria caret substantia, quomodo est vere propriæque substantia? Econtra, cum humanitatis substantia in Christo una sit, quemadmodum una est in Socrate, aut alio naturæ humanæ individuo; habet consequenter substantiam suam, rationemque personæ, cum nihil hæc sit aliud, quam *rationalis naturæ individua substantia*. Hanc enim ex Boetio

desumptam definitionem personæ Theologi communiter recepere.

Resp. in substantia distinguenda esse duo. Unum est *οὐσία, natura*, atque *essentia*, in eo sita, quod sit per se, scilicet non adhæreat alicui adinstar accidentis, quod permanente eadem natura potest deperdi; & si forte alteri conjuncta est, sit tamen de se idonea, ut existat à quocunque altero separata. Id in Christi humanitate nequaquam deest, quippe ex intrinsecis suis est anima rationalis, & caro, neque ita adhæret Redemptori nostro, ut ab eo divelli possit, subsistente adhuc Christi, qui duplici constat natura, hypostatica unione: quoniam si humanitas abesset, non Christus homo foret amplius, sed Verbum in forma Dei. Est etiam humana Christi natura adeo in genere suo completa, ut nisi haberet cum divina communionem hypostasis, subsisteret per se ipsam. Nihil ergo eorum, quæ ad *οὐσίαν* pertinent, illi deest. Alterum, quod in substantia debet spectari, est *οὐσιώδες, substantiæ adventitia habitudo*, ut quod subsistat se sola, aut conjuncta alteri; id enim quemdam existendi modum importat, non perfectionem, quæ requiritur ad *οὐσίαν*, sive, ut inquirunt, *ad speciem* constituendam: atque hac ratione immortalis anima *substantiam* suam habet, sive conjuncta sit corpori, sive ab eo separata; cum hoc tamen discrimine, quod anima, cum *forma* sit, adhæret carni nexu connaturali, at Christi humanitas, cui nihil deest ex modulo speciei suæ, mirabili œconomia, & virtute Spiritus sancti transit in consortium divinitatis. His explicatis diluuntur Nestoriana argumenta. Si enim spectetur in humanitate Christi *οὐσία, & natura*; habetur eadem substantialis perfectio, ac in hominibus cæteris: si attendatur *οὐσιώδες, & existendi modus*; est longe humanitate nostra præstantior: quippe melius est esse Dei, quam creaturæ, & præstantius regi divina potestate, quam imbecillitate mortali. Est etiam Christus, quemadmodum Socrates, aut hominum alter, *individuum* humanum, in quantum unus homo est, præditus propria & singulari *substantia*: at non est in ratione *persona* Filius Dei aliis hominibus æquiparandus; quoniam cum *persona* sit individua substantia sui juris, & *incommunicabilis* alteri, natura Socratis à Deo non assumpta, neque alia communicatione fruens, quàm naturalium proprietatum, sui juris est, sive persona creata: sed

19.  
Responde.



ſed humana natura Chriſti conjuncta Verbo, & fruens confortio divinitatis, tranſiit ad jura divinae perſonae; & ideo quamvis una ſit, atque individua, caret propria perſonalitate, & hypotheſi. Definitio itaque Boetii vera eſt, ſi nomine ſubſtantiae intelligas naturam com-

pletam, & affectam peculiaris exiſtentiae modo, atque, ut Scholae loquuntur, ultimo terminatam; falſa autem ſi intelligas aut naturam incompletam, qualis eſt anima rationalis, aut naturam aſſumptam, & ad jura divinitatis evectam, qualis eſt humanitas Salvatoris.

## C A P U T XIV.

An Beata Virgo dicenda ſit Θεοτόκος, id eſt, Deipara.

## S U M M A R I U M.

1. Status quaſtionis.

2. 3. & 4. Probatur Mariam recte dici Deiparam.

5. & ſeqq. Solvuntur objectiones.

1. Status quaſtionis.

**P**RAECEDENTI affinis eſt quaſtio, an in-temeratam Virginem appellare debeamus Θεοτόκον, Dei matrem ac Genitricem, an, ut contendebat Neſtorius, Χεαςτοκον tantum, ſcilicet Matrem Chriſti: quod ut rite definiatur, vis nominum eſt inquirenda. Verbum *τιτεν* non ſolum ſignificat parere, & in lucem foetum effundere, ſed etiam illum gignere, atque in propriis viſceribus formatum emittere. Affert complura exempla ex Homero, Sophocle, & Heſiodo Robertus Conſtantineſis in Lexico; nonnulla etiam ex Patribus, qui idem verbum uſurparunt in explicanda aeterna Patris generatione, de Incarnat. lib. 111. cap. 15. eruditus Petavius. Hinc apparet Neſtorii vaſtrities, & liquet cur aliquando viſus ſit Θεοτόκον non reprobare, in quantum Virgo puriſſima ediderit Salvatorem, ac non Deum factum hominem, ſed Chriſtum, in quo ipſe Deus inhabitaverit. Econtra etiam ſi veriſſime genuerit illa dominum Jeſum Chriſtum, ſitque proinde Χεαςτοκός; vigente tamen Neſtoriana haereſi, oportunitas erat Χριςτοτόκον non pronuntiare, ne Chriſtum, ac Deum Verbum quis in duas perſonas diſperſceret. At explicatis vocabulis, pertractandum de dogmate.

**PROPOSITIO.** Virgo Maria recte appellatur Θεοτόκος, Deipara, cum revera Deum genuerit, atque in utero ſuo formatum ediderit.

1. Demonſtratur.

Demonſtratur 1. auctoritate Scripturarum. Principio huc ſpectant; quae filium hominis Deum ac dominum eſſe declarant, de quibus libro VII. cap. XI. nec non vaticinium Eſaiae explicatum cap. 1. hujus libri. Deinde manifeſta ſunt verba Apoſtoli ſcribentis ad Rom. 1. 3. de Filio Dei: *Qui factus eſt ei ex ſe-*  
*R. P. Berti Theol. Tom. V.*

mine David ſecundum carnem. Quem ergo enixa eſt Virgo mater, eſt idem filius Dei, & quidem non adoptione, ſed nativitate, generatione, ac natura. Enimvero ſi cum aliquibus legendum putas, *παι τῆ υἱῆ αὐτῆς τῆ γενόμενῆς ἐκ ſπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, qui factus eſt ex ſemine David ſecundum carnem;* aperte Dei Genitricem fateris; ſi contendis ſcriptum *τῆ γεννόμενῆς, qui natus, & genitus eſt,* idem ſequitur apertiſſime: fateris enim Mariam non ſolum peperiffe filium Dei, ſed etiam illum genuiſſe; & hominem efformaffe. Neque de filio adoptivo loquitur Paulus, cum addito pronomine *αὐτῆς* designet filium proprium ac ſingularem, illum dominum appellet, & commiſſum ſibi Evangelicum munus commendans ſcribat per ipſum Chriſtum, non per homines, ſe fuiſſe vocatum Apoſtolum, & ſegregatum in Evangelium. Atque ad Galatas IV. 4. ait idem Paulus: *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege.* Utrumque occurrit hoc loco, *γεννόμενον ἐκ γυναικός, genitum, & hominem factum ex muliere,* atque *γενόμενον ὑπὸ νόμου, factum & conſtitutum ſub lege.* Ex his argumentamur. Recte appellatur Dei Genitrix, quae concepit, peperit, genuitque Verbum unigenitum Dei filium. Maria Unigenitum Dei filium concepit, ac genuit. Recte ergo Maria ſemper virgo dicitur Dei Genitrix.

Confirmatur Catholica veritas traditione: Martyr Juſtinus in Apologetico 2. Confirmatur. inquit: *Verbum formatum eſt, & homo factus ex Virgine.* Ignatius in Epist. ad Ephesios: *Deus noſter Jeſus Chriſtus ex Maria genitus eſt.* Hippolytus Martyr laudatus etiam à Theodoretō: *Verbum Deus, & homo, primogenitus in utero*  
*Q 2 for*



formatus. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. xii. *Crede illum ipsum unigenitum filium, ex Virgine iterum genitum esse.* Nazianz. Orat. 51. *Si quis Sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est.* Cyrilli Alexandrini, qui adversus Nestorium pro honore Deiparæ decertavit, non opus est exscribere testimonia: nam ubique Virginem esse Dei Genitricem contendit, in suis Anathematismis, in Epist. ad Aca-  
cium, ad Clericos Constantinopolitanos, ad Monasteria, in suo Apologetico, &c. Afferamus & Latinorum aliquos. Tertullianus de Carne Christi cap. 17. *Ante omnia, inquit, commendanda erit ratio, quæ præfuit, ut Dei filius de Virgine nasceretur.* Ambrosius Epist. 63. *Filium coæternum patri suscepisse carnem, natum de Spiritu sancto ex Virgine Maria, &c.* Augustinus denique de dono Perseverantiæ cap. ultimo: *Dicimus Christum Deum verum, natum de Deo Patre sine ullo initio temporis, eundemque hominem verum, natum de homine matre certa plenitudine temporis, &c.* Nisi hæc sufficiant vide Coc-  
cium lib. 11. art. 2. Petavium libro 111. de Incarnat. cap. 14. & 15. & Nat. Alex. dissert. 111. in Hist. Eccl. Sæculi v.

4. Addam postremo loco rationes. I. Qui Virginem esse Deiparam imperi-  
te negant, huc necessario adiguntur, ut Christum in duas personas dividant, constituentque duos filios, unum genitum ante Luciferum, & alterum factum ex semine David secundum carnem. Id vero superiori capite refutavimus. II. Aut filius Virginis verus est Deus, aut verus Deus non est. Si non est verus Deus, subvertitur Incarnationis mysterium, neque *Verbum caro factum est*, quod tam aperte legimus in Evangelio. Si autem filius Virginis est verus Deus; debemus illam appellare Θεοτόκον, ac Deiparam. III. Judæi filium Virginis crucifixerunt, quod se faceret filium Dei; ob eandem causam Pontifex Caiphas scidit vestimenta sua, quasi blasphemum fuerit, quod ipsi interroganti Matth. xxvi. 63. *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei vivi;* respondit Dominus, *Tu dixisti.* Porphyrius etiam, Julianus Apostata, alique Pagani hoc maxime in Christiana Religione derident, quod credamus ipsum Deum conceptum ex Virgine, natum, & crucifixum. Si Christus est idem Filius Dei, Maria Θεοτόκος est; & jure meritoque Nestorius damnatus est tanquam

Paganus, Judæus, novus Caiphas, atque Porphyrius, aut Julianus, ut in Notis ad Synodum Ephesinam demonstrat vir eruditissimus Christianus Lupus. Econtra si quem genuit Maria, non est idem verus, proprius, ac naturalis Dei filius: merito illum damnarunt Judæi, merito Caiphas quasi blasphemum redarguit, merito Pagani negant ipsum Deum crucifixum; quod cum sit valde nefastum, impium, dictumque horrendissimum, Christum Deum & hominem, & beatissimam Virginem Matrem Dei appellare debemus: ita Scriptura, Patres, & ratio ipsa demonstrant; ita etiam, ne sacros Vates hoc loco prætermittamus, lib. vi. de Laude Castitatis Alcimus Avitus:

*Ante ævum de Patre, ex Matre in tempore natus,  
Seminis hinc expers omnino, & temporis illinc.  
Sic Virgo secunda fuit, quæ pondere casto  
Factorem portare suum, Dominumque perennem  
Edere promeruit, dignoque agnomine dici  
Virgo DEI MATER.*

## OBJECTA DILUUNTUR.

Sequuntur contraria argumenta, quorum primum sit. Probant Catholici Mariam esse Θεοτόκον, quod enixa sit Filium Dei, genitum ex semine David, & factum ex muliere, ut in Epist. ad Rom. scribit Apostolus. At ibidem versu 4. Christus natus ex semine David dicitur Filius Dei prædestinatione & gratia, non generatione & natura; nam legimus: *Qui prædestinatus est filius Dei.* Corruit ergo prior argumentatio petita ex Apostolo. Additum est in hujus confirmationem, quod Christus in Sacris literis dicitur Deus. Verum nonne idem nomen Moysi, Judicibus, Regibus, Angelis, & piis, iustisque tribuitur? Nequit ergo Nestorius auctoritate Scripturarum refelli.

Resp. nego minorem; siquidem verborum Apostoli sensus est, Christum fuisse prædestinatum filium Dei, in quantum prædefinitum erat, ut virtute miraculorum, & præsertim resurrectione ex mortuis palam fieret illum esse, quem olim prænuntiaverunt Prophetæ. Aque hunc sensum planum mihi reddant sequentia. I. Syrus οπισθένως vertit, *Qui cognitus est.* II. Οπισθένως apud Chrysostomum idem est,



est, ac δευδέντος, ὁποῦνδέντος, καθευ-  
τος ἀπὸ τῆς ἀπαντων γυναικός, καὶ ψῆφος, id  
est, *Qui demonstratus, declaratus, &  
judicatus est omnium sententia ac suf-  
fragio Filius Dei.* III. Ibidem innuit  
Apostolus, quomodo sit prædestinatus,  
dicens: *in virtute, secundum spiritum  
sanctificationis ex resurrectione mortuo-  
rum.* IV. Idem commonſtrat anthithe-  
ſis & ordo verborum: nam primum ait  
Apostolus hunc Dei filium promissum in  
Scripturis sanctis; deinde factum ex ſe-  
mine David secundum carnem; tum  
prædestinatum in virtute; non ergo de  
ſola prædeſtinatione, quæ est electio gra-  
tiæ facta ante mundi constitutionem,  
ſed de manifestatione divinitatis, & de  
prædeſinita gloria Chriſti loquitur ſan-  
ctus Paulus. Si mavis tamen Chriſtum  
eſſe prædeſtinatum Filium Dei *ſecundum  
carnem*, hoc ſenſu, quod præſinitum fue-  
rat Verbum carnem fieri, atque ita ho-  
minem eſſe ob ſubſtantialem unionem in-  
ter utramque naturam Filium Dei natu-  
ralem, hanc etiam explicationem admit-  
to. At Filium Virginis appellari Deum  
attributione quadam, ut Moyſes & An-  
geli, falſum eſſe demonſtravi lib. VII.  
cap. XI. ex nomine tetragrammato, ex  
appellatione unius Dei, ex eadem cum  
Patre operatione ac poteſtate, aliisque  
characteribus, qui nequeunt alicui, niſi  
ſummo Deo, convenire.

7.  
Objicitur 2. Secundum pro Neſtorio argumentum  
eſt: Vox *Deipara* inſtituta penitus eſt:  
frustra illam in ſacris literis perquiras:  
nullam ejus mentionem fecit Nicæna Sy-  
nodus. Apud Patres nunquam occur-  
rit ante Leonem Magnum, qui omnium  
primus illam intruſit: noluerunt illam  
Symbolo addere Patres Synodi Chalce-  
donenſis, etiamſi id flagitarent nonnulli.  
Nova eſt ergo vox illa, atque repu-  
dianda.

8.  
Respondet. Reſp. Nihil hac argumentatione pro  
Neſtorio concludi. Nam 1. neque in  
Scripturis invenient Neſtoriani voces  
Χριστοῦ, καὶ Θεοτόκου, id eſt, *Dei ſuſce-  
ptricem*, quas pro *Deipara* impie ſubſti-  
tuebant. Deinde, ſi hæc vox in ſacris  
literis non reperitur, occurrit ibidem res  
ipſa, ubicunque Chriſtum eſſe Deum, &  
eſſe unum pronuntiant: ac poſſumus  
idcirco reſpondere, quæ de vocabulo  
Θεοτόκη ſcribit Auguſtinus in Epist. ad Pa-  
ſcentium laudata Volumine I. pag. 64.  
Præterea qualibet hæreſis, ut veritas  
Catholica diligentius defenderetur, im-  
puliſt nos ad ulurpanda quædam vocaba-  
la, & ad quæſtiones inſtituendas, de  
quibus ſoliciti non erant antiquiores.  
Quantum ad Patres attinet, S. Cyrillus

in Apologetico pag. 162. & 163. Tom.  
I. demonſtrat hac voce uſos fuiſſe Pe-  
trum Alexandrinum, Athanaſium, &  
Amphilochium Episcopum Iconii, alibi  
laudat Antiochum, & Ammonem. Etſi  
non omnes Θεοτόκου expreſſe protulerint,  
ut animadvertit cit. cap. 5. Peatavius,  
tradiderunt tamen vocis ſignificationem;  
ac ſplendide mentitur Neſtorius, dum  
ait vocabulum iſtud adinventum ab Apo-  
linario, & primum in uſu receptum à  
Leone, cum manifeſta ſit Gregorii Na-  
zianzenſi ſententia paulo ſupra producta.  
Vide Not. Chriſt. Lupi ad I. Cyrilli Ana-  
thematiſmum. Quantum vero ſpectat  
ad Nicænâ Synodum, reſpondit idem  
Cyrillus in Epistola ad Cler. Conſtanti-  
nop. vocula hujus non meminiffe, quia  
nil ejusmodi in controverſiam adduce-  
batur: ſi tamen lubeat vim ſententiarum  
perpendere, ſacram Virginem ab eadem  
Synodo declarari Deiparam, dum illum  
ipſum, qui ex Deo Patre natus eſt, di-  
cit incarnatum & hominem factum.  
Eandem ſententiæ vim tenuerunt Patres  
Ephesine & Chalcedonenſes; qui *Dei-  
param* Symbolo non addiderunt ob graſ-  
ſantem hæreſim Eutychianam; ut dixi-  
mus Tomo II. pag. 90. His ergo peni-  
tus Neſtoriana argumentatio revincitur.

9.  
Argumentum alterum Neſtorii erat: Objicitur 3.  
Virgo non genuit divinitatem, quomo-  
do ergo dicenda eſt Dei mater? Huc  
ſpectant omnia alia ejusdem hæreſiarchæ  
ſophismata; illud maxime, quod Mater  
filio conſubſtantialis eſt, ideoque qui  
Mariam dicunt *Theotocon*, illam faciunt  
Deo conſubſtantialem ac Deam, reno-  
vantque hæreſim Appollinarij, qui aſſe-  
rebat natam ex Virgine divinitatem, idem  
vocabulum Θεοτόκος adhibens in ſua im-  
pietatis ſtructuram. Addebat Neſtorius,  
quod cum ſit in Chriſto duplex ſubſtan-  
tia, non potuit utraque ex Virgine ge-  
nerari, ideoque genita ab illa eſt tantum-  
modo ſubſtantia hominis, unde hominis  
Genitrix fuit, non Dei.

10.  
Respondet. Reſpondeo in Chriſto duplicem eſſe  
naturam, divinam atque humanam, at-  
que ut Virgo dicatur Dei parens, ſatis  
eſſe, quod genuerit ipſum Chriſtum, qui  
ob ſubſtantialem inter utramque natu-  
ram unionem ſimul eſt verus homo, &  
verus Deus: neque ullatenus ad hoc re-  
quiritur, ut divina ſubſtantia abſolute  
ſpectata ſit genita ab ipſa Virgine. Enim-  
vero mulieres omnes, quæ genuerunt,  
matres dicuntur hominum, qui conſtant  
corpore & anima rationali; quamvis  
ipſam animam partem hominis nobilio-  
rem non generaverint: neque dici ſolent  
genitrices corporum, quibus formam de-  
dere,



dere, sed personarum, in quibus corpora unita sunt animabus. Audiatur Cyrillus hæc scribens in Epist. ad Monachos: *Et si mulieres istæ non nisi terrenorum sint corporum matres; nihilominus cum totum animal pepererint ex anima & corpore compositum, non solam ejus partem peperisse dicuntur. Nec aliquis dixerit, Ex causa, Elisabetham matrem Joannis carnis esse genitricem, non animæ: peperit enim animatum Baptistam, ac sic tanquam unum aliquid ex ambobus hominem, anima videlicet, & corpore. Hujusmodi quidpiam actum esse fatebimur in Emmanuelis generatione; quippe natum est, ut dixi, ex Dei Patris substantia Unigenitum ipsum Verbum. Cum autem carnem suscepit, eamque propriam sibi fecit, ut filius hominis esset, ac similis nostri fieret, tunc minime est absurdum dictum, imo necessario profitendum, illum ex muliere secundum carnem esse natum, quemadmodum anima una cum proprio corpore gignitur, & unum cum eo reputatur.* Præterea etsi nonnulli Patres genitam à Virgine divinitatem scripserunt, quemadmodum etiam quidam appellant Verbum substantiam genitam; nos nequaquam dicimus divinam naturam ex femina utero extitisse, sed affirmamus genitam ex muliere personam, quæ secundum divinitatem est Filius Dei verus, & secundum carnem filius hominis verus; ut recte animadvertit S. P. Augustinus lib. 111. contra Faustum cap. 6. Quare illi Patres, qui ex Virgine genitam divinitatem dixere, non naturam solam nomine divinitatis significarunt, sed naturam cum *hypostasi*; quoniam natura ex se, & absolute spectata, nec gignit, nec gignitur, ut dictum est alibi. Atque hæc notanda sunt pro conciliandis SS. Patrum sententiis.

11.  
Ultior Rec-  
sponso.

Ergo ad Nestorii argumenta respondeo, quod Virgo non genuit divinitatem, sed genuit secundum carnem Christum, qui est verus Deus; atque id sufficit, ut dici debeat Θεοτόκος: neque proinde est Dea aut Deo consubstantialis, quoniam illum non genuit secundum divinitatem, quam ab æterno habuit à Patre, sed secundum carnem, quam ex matre suscepit in tempore. Eo pacto qui Θεοτόκον fatentur, non incidunt in hæresim Apollinarii, quoniam non inquirunt divinam Christi naturam ex utero Virginis primum extitisse, sed ex eo carnem assumpsisse Verbum, quod in principio erat Deus. Imo ut observarunt docti viri, Petavius de Incarnat. cap. XIX. libri V. & Lupus in Scholiis ad Synodum

Ephesinam, Anath. 1. Cyrilli, probant, que evidenter ex Facundo Hermianensi, Apollinarius negabat Deum esse genitum ex Virgine: putabat enim sibi partem substantiæ suæ, id est, Deitatis in carnem vertisse, & in Maria, non ex Maria fuisse incarnatum; autumans illam carnem conversam in divinitatem consubstantialtem esse Patri, non Matri. Quapropter Nestorius Apollinarii hæresim inscite nimium, & audacter Catholicis obiebat. Quod postremo addebatur non posse duas substantias gigni ex una, haberet aliquid roboris, si gigneretur utraque substantia separatim. At nos dicimus cum Ferrando in Epist. ad Anatolium, genitam ex Virgine divinam substantiam adiungendo sibi humanitatem, sive genitam ipsam divinitatem incarnatam: aut fortasse melius, non divinam substantiam, sed divinam Personam secundum carnem.

Peracutus quidam Scholasticus, mihi que etiam amicitia conjunctus ludicra quadam argumentatione ita argutabatur: Beata Anna appellari nequit Dei avia, quemadmodum definitum est Romæ in damnatione libri Joannis Thomæ à S. Cyrillo, *De laudibus Divæ Annæ magnæ Matris Deiparæ, dignæ Verbi Incarnati Aviæ*. Igitur Virgo Maria nequit appellari *Deiparæ*: atque hac argutatione contorsit valde (tale est Sophistarum ingenium) haud rudem Theologicæ Cathedralæ Moderatorem.

Ad hanc lepidam, nec vulgarem objectionem ego quidem reposuissem, posse Catholico sensu Divam Annam dici Salvatoris nostri aviam, tametsi magis expediat ab istiusmodi nimium communi abstinere vocabulo, ne videatur adinstar hominum cæterorum Christus natus ex Virgine carnali propagatione. Eo namque pacto, quo Dominum Jesum filium Abraham, & Davidis nominamus non solum ob divinas promissiones, verum etiam quia factus est ex illorum semine, nimirum ex Virgine ab illis progenita; non repugnat dicere ipsum Dominum nepotem Joachimi & Annæ, in quantum ex filia utriusque genitus est. Revera Tom. X. Biblioth. PP. pag. 685. extant Andreae Cretensis Canones, & Triodia, quorum unum præfert titulum, *Die nona Decembris Conceptio Sanctæ, ac Dei Aviæ Annæ*: neque id tribuendum est Latino Interpreti, cum & Græcus pag. 252. Parisiensis editionis Codex Operum Cretensis habeat: *Ἀνεμείνη θ! ἡ σύλληψις τῆς ὁμίας, καὶ θεοτοκοῦς Ἀννης*. Qui vero aviam Christi dixerunt, licet non adeo conspicui, laudantur

12.  
Obicitur.

13.  
Respondi.



dantur à prædicto Joanne Thoma cap. 28. citati libri. Atque hunc proſcriptum eſſe, non ob hæreticam doctrinam, ſed ob aſpera quædam, atque ut ita dicam, nimix devotionis argumenta, liquet ex Indice librorum expurgandorum. Et ſane Auſtor ex quo avia Chriſti ſit Anna, pag. 392. & ſeqq. demonſtrare niti-  
tur ejusdem Annæ cognationem eſſe di-  
vinam, eandem appellat ſocrum Spiritus

ſancti, contendit eſſe Dominam Angelo-  
rum, ait eſſe aviam Chriſti *plenius*, quam  
alia mulier avia ſit nepotum ſuorum, af-  
firmat & ipſam *concurriſſe* ad unionem  
hypſtaticam; ac ſcribit alia complura,  
in quibus erga D. Annam devotio diale-  
ctice ſyllogizans poteſt ſimpliciores in  
errorem inducere. Hac ergo ratione  
Annam Dei aviam dicere non debemus.

## CAPUT XV.

Vindicatur S. Cyrillus Alexandrinus à nota hæreſeos.

### SUMMARIUM.

1. Neſtorius tribuit Cyrillo errorem Apollinarii.
2. Cædes Hypatiæ immeritò affingitur Cyrillo.

3. 4. & 5. Vindicatur S. Cyrillus.
6. & ſeqq. Solvuntur objectiones.

1.  
Neſtorius  
tribuit Cy-  
rillo erro-  
rem Apolli-  
narii.

**N**ULLUS Neſtorium magis exagita-  
vit, quam ſanctiſſimus Alexandri-  
nus Antiſtes Cyrillus, qui anno  
412. Theophilo vita functo ſucceſſerat.  
Is erumpente circa annum 419. Neſtoria-  
na hæreſi ejus auctorem gravi, & eru-  
dita Epistoſa admonuit; deinde cognita  
Neſtorii pervicacia per aliam Epistoſam  
certiorem reddidit pernicioſi erroris Ro-  
manum Pontificem Cœleſtinum. Coe-  
git etiam adverſus Neſtorianos Synodum  
Alexandrinam, in qua edita fuerunt duo-  
decim Capitula, ſive Anathematiſmi con-  
trarii Neſtorianiſis blaſphemiis; quibus  
anathematiſmiſ impius hæreſiarcha duo-  
decim alios oppoſuit. Ut ergo Neſto-  
rius à Cyrillo redargueretur, quod unum  
Chriſtum in duos filios diſpeſceret, &  
Virginem Mariam negaret eſſe *Deiparam*;  
ita Cyrillus inſimulatione erroris Apolli-  
narii, & Arii reprehendebatur à Neſto-  
rio, quod ſtatuereſt unam in Chriſto na-  
turam. Nec deſuerunt Cyrillo adverſa-  
rii clariffimi ex eo præſertim commoti,  
quod ſcripſerit *unam eſſe naturam Dei  
incarnatam*: inter quos numerantur Joa-  
nes Antiochenus cum Orientalibus aliis,  
Andreas Samofatenſis, & Theodoretus  
Epiſcopus Cyri: qui duo mandantibus  
aliis adverſus Cyrillum coactis, ſtudue-  
runt illius anathematiſmos ſcriptis im-  
pugnare. At Cyrillus editis vindictis, &  
libro Apologetico omnem à ſe propul-  
ſavit ſuſpicionem erroris, ita, ut etiam  
Joannes Antiochenus cum cæteris Orien-  
talibus tandem Ephęſinæ Synodo acceſ-  
ſerint, & Theodoretus inita cum Cyril-  
lo concordia Neſtorium damnaverit. Nec  
ſola Apollinarii hæreſis objecta eſt Cy-  
rillo, ſed etiam ſcelus maximum, & im-  
mane, ſcilicet, quod Hypatiæ celebra-

rimam Philoſopham Alexandrinam du-  
ctus invidentia, & livore feciſſet à plebe  
membratim diſcerpi, & adverſus Oreſtem  
Præfectum plebem commoviſſet. Hypatiæ  
cædem contigiſſe anno Alexan-  
drinæ Aera 406. & V. Ae. 413. demon-  
ſtrat Pagius ad annum ccccxv. num. 20.

Hanc impactam Cyrillo calumniam re-  
pellit Nat. Alex. Hiſt. Ec. ſæc. v. cap.  
iv. art. 14. quod plebs Chriſtianorum  
conſpiratione facta exacerbavit Oreſtem,  
& Hypatiæ occiderit inſcio Cyrillo, qui  
tantum zelo fidei catholicæ permotus  
ejeceſat Alexandria Judæos poſt illatam  
ab his ingentem cladem Chriſti fidelibus:  
quam ob rem Præfectus ratus à Cyrillo  
auctoritatem ſuam fuiſſe labefactatam,  
nunquam adduci potuit, ut injuſtam re-  
primeret indignationem. Atque hinc  
populi adverſus Præfectum, & Hypatiæ  
ei ſingulari amicitia conjunctam, & for-  
ſitan altricem diſſidiorum, tumultuoſa  
concitatio. Illius propterea auctorem  
fecit Cyrillum primus omnium Dama-  
ſcius in vita Iſidori Philoſophi, de quo  
Suidas, & H. Valeſius in Notis ad So-  
cratem pag. 86. Verum Damaſcio nul-  
lam fidem debemus, quod fuerit, ut ani-  
madvertit Guilielmus Caveus in H. Ec-  
cleſ. Script. Chriſtianæ Religionis hoſtis  
acerrimus. De his plebis Alexandrinæ  
in Oreſtem, & Hypatiæ conſpirationi-  
bus plura habet etiam Socrates lib. vii.  
cap. 14. & 15. nec Cyrillo admodum  
plaudit. Sed Socrates addiſtus erat No-  
vatiæniſ, quibus S. Antiſtes extremum  
bellum indixerat: ac præterea idem So-  
crates ſcribit Monachos Nitriæ, quibus  
auctoribus deteriora evenerunt, non à  
Cyrillo fuiſſe commotos, ſed ſerventio-  
re

2.  
Cædes Hy-  
patiæ immer-  
ito affingi-  
tur Cyrillo.



re animo pręditos jam inde à temporibus Theophili, qui illos adversus Dioscorum armaverat. Fatetur etiam Hypatiam interemptam, non Cyrilli, sed Petri Lectoris conspiratione. Hac itaque calumnia repulsa, alteram, quę spectat ad institutum nostrum nunc expungemus.

3.  
Propositio.  
Probatur 1.  
ab Auctori-  
tat. Pontif.  
Concil. ac  
Patrum.

PROPOSITIO. S. Cyrillus immerito insimulatus est hæresis Apollinarii.

Theologi solent hanc propositionem demonstrare extrinsecis argumentis ab auctoritate Summorum Pontificum, Conciliorum, ac Patrum. Cęlestinus enim in Epistolis ad ipsum Cyrillum, ad Joannem Antiochenum, atque ad Nestorium, Cyrilli studium commendat, doctrinam probat, fidem confirmat, & zelum dignissimis laudibus concelebrat. Idem pręstat Gregorius II. in Professione Fidei ad sanctum Germanum Constantinopolitanum Antistitem. Probarunt insuper duodecim Cyrilli Capitula Episcopi Aegyptii, qui ad Synodum Alexandrinam convenerant. Concilium Ephesinum illa ab omni errore declaravit immunia omnium Episcoporum consensu Act. 1. & Act. 9. in Relat. ad S. Pontificem Cęlestinum. Synodus pariter Chalcedonensis Act. 2. contestata est, se idem credere quod Cyrillus: & in definitione fidei Act. 5. ejusdem Cyrilli Epistolas suscepit, & consecravit. Quinta denique Generalis Synodus can. 13. eo nomine damnavit Scripta Theodoret, quod oppugnare studuerit anathematismos Cyrilli. Catholicam pręterea Cyrilli doctrinam, & ab Oecumenicis Synodis comprobata, scribit Epiphanius Archidiaconus Alexandrinus in Epist. ad Maximianum Episcopum, Joannes Sebastenus in literis Synodicis ad Leonem Augustum, Liberatus in Breviario, & alii. Nefas est igitur insimulare hæreseos sanctum Cyrillum tam amplo, firmissimoque judicio summopere commendatum.

4.  
prob. 2.  
Argumentis  
aliorum.

Hęc sunt argumenta, quę in defensionem Cyrilli proferri solent: hęc producit Natal. Alex. Dissert. VII. in Hist. Eccl. sæc. v. Juenin Dissert. v. de Essent. Incarnat. Cap. 11. Art. 2. Tournely Q. VII. de Incarnat. pag. 259. Boucat Dissert. 111. sect. 3. &c. Neque hęc à nobis infirma putantur: sed singula in compendium redacta sunt; illisque robur addimus ex quo Cyrillum *invictissimum Fidei propugnatorem* appellet Ecclesia Romana in Martyrologio die 27. Januarii, & Menologium Gręcorum die 9. Junii: Anastasius quoque Sinaita in Hodego cap. v. Eulogius Archiepiscopus Alexandrinus

in Oratione adversus Calumniatores SS. Patrum; Photius etiam in Biblioth. Cod. 311. Idatus in Chronico, Gennadius de Script. Eccles. cap. 65. & posteriores omnes Historici. Verum cum non defuerint viri improbi, qui conati sunt adversus Cyrillum styllum acuere, contententes Synodum Ephesinam immerito illius scripta probasse, & deceptos fuisse in hac causa quamplurimos errore facti, & Nestoriani dogmatis ignorantia; videtur nobis opportunum vindicias Sancti Cyrilli non solum prædictis, sed etiam sequentibus argumentis contexere.

Cyrillum itaque ab errore Apollinarii fuisse immunem ulterius his momentis evinco. I. Qui post Incarnationem duas in Christo naturas, divinam, humanam, quę docuit impermixtas, atque in suo esse distinctas permanere, is non est proculdubio Apollinarii infectus errore. S. Cyrillus duas post Incarnationem naturas impermixtas, & quantum ad *divinam* attinet distinctas profitetur. Igitur S. Cyrillus imbutus non est Apollinarianarum errore. Probatur minor. Idem Cyrillus in libro 11. contra Nestorium ait: *Ergo unum (Christum) confitere, naturas non dividens, sed ita, ut scias interim, & sentias, aliam esse carnis rationem, aliam divinitatis sibi ipsi convenientem. Non enim carnem ipsam Verbi divinitatem factam esse dicimus.* Et lib. 111. *Altera quippe res est divinitas, altera nostrę similis humanitas; si eam, quę naturis inest, naturam consideres: verum conventionem, quę in veram unitiorem fit, unus ex ambabus Christus existit.* Item Epist. ad Nestorium: *Differentes sunt, quę in veram unitatem coactę sunt naturę; sed unus ex ambabus Christus, & Filius existit.* Plura alia afferentur in solutione argumentorum. II. Qui-  
Secundū

5.  
probatur 2.  
Argumentis  
Auctoris  
imo.



nem in una hypostasi confidentes, unam naturam Verbi incarnatam, & carne indutam dicere non negamus. Dixerunt pariter unam naturam Dei Verbi incarnatam Athanasius in libro de Incarnat. Basilii Seleucienfis, & alii laudati à Dionysio Petavio lib. iv. cap. 5. & 6. & in Synodo Lateranensi celebrata contra Monothelitas sub Martino I. damnatur anathemate. *Quisquis secundum SS. Patres non confitetur proprie, & secundum veritatem, unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Immerito itaque Divo Cyrillo constatur calumnia, quod refellens Nestorium unam incarnatam naturam dixerit. Probatur ejusdem propositionis pars altera: Cum Nestoriani inter divinam humanamque naturam admiserint solam unionem moralem, & secundum dignitatem; fides catholica profitetur unionem veram, & secundum hypostasim, per quam Christus in duabus naturis subsistens sit verus Deus, sit una persona, sit idem Dei filius, & Virginis: id vero Sanctus Cyrillus affirmat statuens unionem naturalem; scribens in Declaratione tertii Anathem. Tom. 6. Regiæ edit. Parisiensis, pag. 149. se duarum naturarum unionem appellare *φυσικὴν* adversus illos, qui subsistentias post unionem dividunt, & singulas, hoc est, Deum, & hominem separatim ponunt, talemque illarum copulam confingunt, quæ secundum solam dignitatem contingit. Et in Apologetico pag. 167. *Si naturalem unionem dixerimus, veram intelligimus.* Igitur S. Cyrillus immerito hæresis infirmulatus est, quod in Christo unionem agnoverit naturalem. Probatur ejusdem minoris pars tertia. Appellare Christum indivisum eo sensu, quod sit unus secundum hypostasim, etsi natura humana non sit natura divina, non est consentire Apollinario, sed mysterium Incarnationis propugnare. At Divus Cyrillus ita prædicat de Christo indivisum, ut evincat unum esse secundum hypostasim, manente proprietate, ac distinctione utriusque naturæ: scribit enim in Epistola ad Valerianum Iconii Episcopum; *Conitemur quod à carne quidem est carnem esse, quod à Deo Deum esse; sed idem secundum utraque Christus, unus Filius, unus Dominus.* Et in Epistola ad Acacium Episcopum Melitenensem testatur se cum Orientalibus non dividere unum Filium, & Christum, à Patre ut Deum, & ex muliere natum in carne ut hominem. Sanctus ergo Cyrillus prædicans Christum indivisum propugnat Catholicam Fidem Incarnationis, non consentit Apollinario, non Ario, non Eunomio,

R. P. Berti Theol. Tom. V.

non hæreticorum alicui. III. Etiam si Tertia in composito duæ sint distinctæ naturæ, ut in homine natura spiritalis, atque corporea; post earum substantialem unionem recte dicitur una natura composita, v. g. una natura hominis; neque dicendo unam hominis naturam, significatur esse unam eandemque substantiam carnis, & spiritus, sed esse unam personam in utraque substantia. At D. Cyrillus nunquam dixit absolute unam esse in Christo naturam, sed aut esse unam naturam Dei incarnatam, ut inquit in Commonitorio ad Eulogium; aut esse naturam unam Verbi facti hominis, post unionem, ut in Epist. ad Acacium; aut unam esse naturam tantum in composito, ut in Epist. ad Succesum: imo prohibet unam naturam dicere, quia Christus est unus ex duabus naturis; in eadem Epistola, aliisque in locis productis à Photio in Bibliotheca pag. 850. & seqq. Ergo Cyrillus non ait unam eandemque in Christo esse naturam humanam, atque divinam, sed unam naturam Christi secundum hypostasim, scilicet, post unionem esse unam Personam indivisam ex duabus naturis compactam. IV. Orientales, qui adversus Cyrillum conveniant, omni procul dubio duas in Christo fatebantur naturas, easque expresse distinguebant in Professione Fidei exhibita Sancto Cyrillo à Paulo Emisseno. At idem Cyrillus Fidem Orientalium probavit in Epistola ad Acacium Melitenensem; & Epistolam redditam sibi à Paulo Emisseno scribens ad Joannem Antiochenum appellavit *irreprehensibilem*: imo cum nonnulli accusarent Orientales, propterea quod duas naturas confiterentur, ut scribit S. Eulogius, primo Cyrillus erubuit, veritus ne denegarent cum Nestorio hypostaticam unionem; quippe idem Nestorius prætextu duarum naturarum curabat etiam hypostases separare: sed Epistola Orientalium accurate perlecta, se illis per omnia consentire affirmavit, scribens ad Valerianum Iconii Episcopum, etiam Orientales damnare hæresim Nestorii, Virginem fateri Deiparam, & unum Christum perfectum in divinitate, & perfectum in humanitate, non divisum in duos Filios, & Dominos, venerari. Si igitur Apollinaristæ non fuerunt Orientales, qui nondum explorata veritate steterunt adversus Cyrillum; neque Cyrillus ipse Apollinario consensit. Hæc quatuor argumenta à nobis addita iis, quæ communiter afferuntur, reddunt causam Cyrilli non solum auctoritate mutam, verum etiam invictissimis rationibus definitam, ac certam.

R

ARGU.



## ARGUMENTA ADVERSUS FIDEM CYRILLI.

6.  
Obijciunt.

Pugnāt adversus Cyrillum primum extrinsecis testimoniis. Illum quippe tanquam suspectæ fidei traduxerunt Joannes Antiochenus cum cæteris Orientalibus, Theodoretus, Ibas, & Isidorus Pelusiota. Quorum auctoritas pluris facienda est; nam quantum ad Orientales attinet, idem Cyrillus, ut vidimus, illorum Fidem asseruit irreprehensibilem, eique subscripsit; neque vicissim petiit ab iis, ut suis anathematismis subscriberent. Theodoretum tanquam Catholicum recepit Synodus Chalcedonenfis, non exigens ab illo, ut revocaret quæ scripserat contra Cyrillum. Isidorus Pelusiota ab ipso Cyrillo Patris loco habebatur. Ibas etiam à Chalcedonenfi Synodo habitus est Orthodoxus. Horum itaque testimonium adversus Cyrillum grave est admodum ac æstimandum.

7.  
Respondetur.

Resp. si ad testes provocemus, longe plures, atque auctoritatis præcipuæ stare pro Cyrillo, ac Synodum ipsam Chalcedonensem, quam producunt in commendationem Ibas, & Theodoreti, in definitione Fidei, quæ extat Act. v. suscepisse, probasse, atque declarasse Orthodoxam ejusdem Cyrilli doctrinam. Itaque omnes, qui sinistra de Cyrillo judicarunt, errore facti decepti sunt. Primo enim Joannes Antiochenus, Theodoretus, & Ibas olim opinabantur Nestorium recte sentire, ut liquet ex præcedenti cap. xii. Nil ergo mirum si ex adverso erroris insimulabant invictissimum Nestorii Oppugnatorem. Deinde hos revera fuisse deceptos demonstrabimus capite proximo. Præterea hæreses, quæ præcesserant, contra sacrosanctum Incarnationis Mysterium, & nondum explorata Nestorii vafrities, novum etiam *unionis hypostaticæ* vocabulum, quod ad refellendam hæretici tergiversationem opportune Cyrillus adhibuit, nec non unionis naturalis, & unius naturæ incarnatæ, nonnullos principio commoverunt ac perturbaverunt.

8.  
Respondetur  
ulterius.

Generali hac responsione præmissa; quantum spectat ad Orientales, si Cyrillus illorum doctrinam probavit, si Epistolam sibi redditam à Paulo Emisseno appellavit irreprehensibilem, si tandem in tanta pace Orientales Cyrillo adhaeserunt; profecto in fide, & dogmate minime discrepabant. Hac de causa Cyrillus Orientalium Fidei subscripsit; noluit tamen, ut illi instabant, profiteri se contra Nestorii blasphemias non recte scri-

psisse, sed Apologeticis, & Declarationibus suos anathematismos confirmavit. Quod si Cyrillus reciproca instantia non petiit, ut Orientales iisdem anathematismis subscriberent; fecit id prudentissima œconomia; quoniam rectam in illis fidem deprehendens, sperabat fore ut sedatis tandem animis, & dogmate majori in luce posito, damnarent & ipsi Nestorium. Neque id tantum Cyrillus præstitit, verum etiam stetit pro iisdem Orientalibus adversus eorum accusatores: ex qua agendi ratione quantum fidei accesserit utilitatis, & quantum estimationis Cyrillo, probavit rerum eventus, & inita ecclesiarum concordia. Legatur Epistola Cyrilli ad Acacium Melitenensem non semel in hoc capite laudata.

De Theodoro plura dicam infra. Nunc sat est reponere ejus contra S. Cyrillum scripta Quintam Synodum proscriptis. Fuisse etiam Theodoretum à Cyrillo nimis aversum probant quæ de illo tradit in disert. Historica de ipsa V. Synodo noster Norisius. Etenim etiam post initam pacem, imo Cyrillo jam mortuo, se erga illum esse amaro animo significavit in Epistola ad Domnum, in qua ait in xii. Capitulis latere venenum. Hæc autem scribebat Theodoretus circa tempora Concilii 2. Ephesini, anno 449. & quinquennio post Cyrilli obitum. Recepit quidem Theodoretum Synodus Chalcedonenfis; sed primum cum de ejus ingressu ageretur, Aegyptii omnes, Illyriciani & Palæstini exclamarunt, *Magistrum Nestorii foras*. Sedit tandem ob auctoritatem Orientalium, sed ea conditione, ut ipsius causa postmodum cognosceretur. Ubi ad id absoluta Synodo perventum est; coactus est anathematizare Nestorium, & cum vellet coram Synodo Apologiam recitare, fuit rumore universorum prohibitus. Ideo autem Synodus de scriptis Theodoreti ipsum recipiendo iterum non egit; quoniam actione v. illos plane abrogaverat probando S. Cyrilli doctrinam. Sed vide citatam Norisii dissertationem cap. xi.

Quid vero de Iba? In Epistola, in qua scribit Cyrillum lapsum in Apollinari dogma, ait etiam Nestorium fuisse Episcopatum privatum *judicio, & inquisitione non facta*. In hac Epistola Vigilius Papa contineri dixit *profanas blasphemias*: eamque S. Gregorius in Epit. ad Secundum appellavit *non Catholicam*. Plura de hac Epistola citato loco Norisius. Fuit tamen

9.  
Respondetur  
objectis  
Theodoreti.10.  
Iba impu-  
gnatio nihil  
valet.



tamen Ibas reſtitutus Sedi ſuæ, quia conſtabat ex Actis in Synodo Berytenſi, diſſiſſe anathema Neſtorio, ideoque retractaſſe, quæ ſcripſerat in Epiſtola ad Marim Perſam, nimirum in illa, in qua S. Cyrillo dogma Apollinarij affricavit. Sed de his iterum. Nil ergo valet adverſus Cyrillum quod aſſeruit Ibas partibus Neſtorianiſ addiſſus, & quod ipſe coactus eſt retractare. Facundus Hermianenſis lib. VI. p. 242. ait Ibam non fuiſſe aſſecutum intentionem diſſorum beati Cyrilli: cujus alucinacionis cauſam paulo ſupra explicavimus.

11. Nec adverſatur Cyrillo S. Iſidorus. S. Iſidorus Peluſiota Epiſt. 310. lib. I. ad Cyrillum, & Epiſt. 370. ejuſdem libri, ipſum quidem hortatur, ut compri-  
mat ſimultates, atque diſſidia, ſed mini-  
me ait ſe fidem præſtare iis, quæ de Cy-  
rillo in vulgus ſpangebantur. Imo lau-  
data Epiſt. 310. Si ab utraque lema (in-  
quit) purus, atque immunis eſſe ſtudes,  
noli violentas ſententiâs ferre: verum il-  
lata crimina juſto, & integro judicio  
committe. Vide Biblioth. PP. Tom. VII.  
pag. 564. nec non proximam Epiſtolam  
324. pag. 566.

EXPLICANTUR XII. ANATHEMATISMI D.  
CYRILLI.

12. Deinde obijciuntur adverſus Cyrillum  
ipſius anathematismi: in quorum primo  
illud carpunt, quod ſcripſerit S. Antistes  
de Virgine Deipara, γεγεννηκες ſαρκινως ſαρ-  
να γεγεννηκες τὸν ἐκ Θεοῦ πατρός λόγον, *Genit  
carnaliter incarnatum Dei Patris Ver-  
bum.* Hinc duo videntur conſequi;  
unum quod Verbi divinitas converſa fue-  
rit in carnem, quæ eſt hæreſis Apollina-  
rii: alterum, quod Deipara genuerit Dei  
Verbum carnaliter, non virtute Spiritus  
ſancti. Verum reſpondetur, idem eſſe  
τὸ ſαρκινως, carnaliter, ac κατὰ ſαρκιν, ſe-  
cundum carnem; eademque voce uti  
Athanafium Orat. IV. contra Arianos, &  
Greg. Nazianzenum in Epiſt. ad Cledonium.  
Male ergo Theodoretus ita hanc  
vocem accepit, quaſi affirmaret Cyrillus  
demutatam fuiſſe Verbi divinitatem in  
carnem: contra quam interpretationem  
S. Cyrillus ita mentem propriam expreſ-  
ſit in Explanat. hujus Anathem. Tom. 6.  
pag. 147. *Natum eſt enim Verbum ſe-  
cundum carnem ex S. Virgine, & æque  
ac nos homo factum eſt, non amittens eſſe  
Deum, ſed exiſtens quod erat, & in di-  
vinitatis natura permanens.* Quod ve-  
ro opponebant Orientales denegari à  
Cyrillo, quod beata Virgo Chriſtum pe-  
perit virtute Spiritus ſancti, ita idem  
Doct̃or diſpellit in Apologetico pag.  
R. P. Berti Theol. Tom. IV.

160. Carnaliter dicere non eſt tollentis  
admirabilem divinitatem, neque everten-  
tis Spiritus ſancti operationem, qua in  
utero formavit partum: ſed docentis po-  
tius, quod ſicut Deus gignitur divine, di-  
gine Deo, ſecundum ſuam naturam, ita  
homo humane, hoc eſt, caro carnaliter.

Vellicarunt in 2. anathematismo quod  
ait Cyrillus, *κατὰ τὴν ὑπόστασιν ἡνωσθαι τὸν* Obijciuntur 2.  
*ἐκ Θεοῦ πατρός λόγον, carni ſecundum hy-* & Reſpond.  
*poſtaſim unitum Dei patris Verbum.* Ob-  
jecit Theodoretus hanc vocem ignotam  
eſſe, neque à præcedentibus Patribus  
uſurpata, atque per illam ſignificari  
utriuſque naturæ mixtionem. At Cy-  
rillus in Explicat. hujus anathematismi  
reſpondet adhibuiſſe ſe hæc verba con-  
tra eos, qui ajunt hominem ſecundum ſo-  
lum dignitatis, vel auctoritatis conſor-  
tium Deo conjunctum eſſe. Eulogius Pa-  
triarcha Alexandrinus ait ab Ephreſina Sy-  
nodo primum receptam vocem unionis  
ſecundum hypotaſim, quoniam hac reſel-  
luntur aperte Neſtoriani: non enim ad-  
verſus hos hæreticos ſufficit fateri unio-  
nem, ut contendebat Theodoretus; cum  
ipſi minime generalem hanc vocem re-  
ſpuerent. Neque inuſitatum eſt novis  
hæreſibus erumpentibus nova etiam uſur-  
pare vocabula, quemadmodum Nicæna  
Synodus recepit adverſus Arianos ὁμοου-  
ſιον. Unius tamen perſonæ Latini Pa-  
tres jam meminerant, præſertim Tertul-  
lianus adverſus Praxeam, & Auguſtinus  
laudatus cap. præcedenti, nec non Græ-  
corum quamplurimi, quorum Cyrillus  
ſenſum, ac mentem expreſſit.

In tertio anathematismo notarunt Ad-  
verſarii hæc verba Cyrilli κατὰ ἐνωσιν φυ-  
σικὴν, ſecundum unionem naturalem; quaſi  
utriuſque naturæ ſignificent permixtio-  
nem. At reſpondet Cyrillus in de-  
clarat. hujus anathemat. pag. 149. ſe hanc  
vocem uſurpaſſe primo ad demonſtran-  
dam unionem veram, & propriam, ac  
perfectiorem morali, quo ſenſu in Epiſt.  
ad Ephreſios dicimur natura filii iræ, id  
eſt, vere ac proprie: deinde ait uſum ſe  
iſdem vocibus adverſus Neſtorianos, qui  
ſubſiſtentias poſt unionem dividunt, & ſin-  
gulas, hoc eſt, Deum, & hominem ſepara-  
tim ponunt. Quo autem ſenſu in hoc  
anathematismo ſcripſerit poſt unionem  
non eſſe in Chriſto dividendas hypotaſi-  
ſes, ipſe explicat in Apologetico pag. 165.  
ſcribens: *Dividere autem unum in duos  
filios, & ſolvere veræ unionis opus, di-  
ſtinguendo ſeorſum, & ponendo prætativum  
hominem, & prætativum Deum crimen eſt  
impium.* Itaque laudatis verbis Cyril-  
lus



lus demonstrat Christum unicam esse personam. Quidam putant difficillimum esse intellectu, an hoc loco Cyrillus nomine *hypostasis naturam*, an *subsistentiam* significet: sed opinione mea quærunt nōdum in scirpo. Ex allata enim explicatione ipsius Cyrilli constat illum asserere non esse dividendas substantias, in quantum Deus & homo non sunt *separatim ponendi*. Sive ergo dixeris, quod non sunt in Christo dividendæ Personæ, sive quod non subsistunt in Christo duæ naturæ separatæ ac disjunctæ, aut solum unitæ morali consortio dignitatis; eadem ratione hæresis Nestoriana refellitur. Nihil ergo ad hanc quæstionem spectat altera de significatione *hypostaseos*. Opinor autem Cyrillum disputantem contra Nestorium, qui in Christo dispersebat non solum personas duas, sed etiam naturas; dum ait dividendas non esse *hypostases*, utrumque significare, & quod Christus sit una persona, & quod una natura non subsistat ab alia divulsa, ita, ut *hypostasis* non solam naturam importet, sed etiam ejusdem naturæ subsistentiam. Ita non dividuntur in Christo personæ, quia est unus filius; & non dividuntur naturæ, quia licet in suo esse permaneant, non existunt tamen separatim.

15.  
Obicitur 4.  
&  
Respondetur  
coherenter  
præc. Responsi.

Arguebant Orientales Cyrillum anti-logiæ, quia in Epist. ad Monachos scripserat: *Quantum ad suam naturam, non sanctificatum esse solum Dei patris Verbum, neque eum, qui ex sancta Virgine genitus est, unctum esse, & sanctificatum solum*. Hinc inferebant etiam Cyrillum duas in Christo agnoscere hypostases. Natalis Alexander ait, ipsum Cyrillum respondere, se duas subsistentias duas naturas intellexisse. Nescio num verum sit, & num revera hæc respondeat idem Cyrillus. Enimvero in loco, quem opponebant Orientales non occurrit vocabulum istud *ὑπόστασις*, sed ipsi Orientales duas *hypostases* inferebant ex textu allato, qui ad hunc modum se habet: *ἐκέν ὅσον ἡμεῖς ἰδίαν φύσιν, ἢ ἡγίασαι κατὰ μόνον ὃ ἐκ Θεοῦ πατρὸς λόγος, εἰ δὲ τις οἶοιτο τὸν ἐκ τῆς ἁγίας παρθένης γεγεννημένον μεχελάσαι, καὶ ἡγίασαι μόνον*. Hæc scripsit Cyrillus; hæc objectarunt Orientales. Vide opera Cyrilli Tom. vi. pag. 164. At hic expresse duæ *hypostases* minime nominantur. Et responsio Cyrilli est, se ad Monachos scribentem tradidisse, quod non sunt ponendi duo filii seorsum, & privatim, neque Verbum Patris unctum esse oleo exultationis, separatim ab eo, qui est genitus ex Sancta Virgine, ut asser-

mat inventor blasphemiarum Nestorius; sed unum esse Christum, incarnatum, & hominem factum unigenitum Dei Verbum, in quo sunt quidem duæ naturæ, at non divisæ post unionem. Naturas, non *ὑπόστασεις* appellat Cyrillus postremis his verbis, sed *φύσεις*: omniaque præcedenti responsioni coherent. Vide Cyrillum eodem Tom. vi. pag. 166.

Adversus quartum anathematismum obiciebant Cyrillum affirmare, quod *Dei Verbo tribuendæ sint voces, quæ in Sacris literis de Christo enuntiantur*. At id videtur duarum naturarum perimere differentiam; quoniam plura enuntiantur de Christo, quæ illi nequeunt convenire, nisi secundum naturam humanam. Quare etiam Arius, & Eunomius, ut divinitatem deprimerent, attribuebant illi quæ sunt in homine vilia, & infirma. At immerito hæc Adversarii insectabantur. Etenim Cyrillus nunquam asseruit tribuenda esse naturæ divinæ quæ conveniunt tantum humanæ, sed damnavit Nestorianos, qui dividentes personas Filio Dei attribuebant divina, filio Virginis attribuebant humana, tanquam *προσώπων, καὶ ὑποστάσεων δύοιν, duabus personis, separatimque hypostasibus*: quibus verbis utitur in hoc Anathematismo Cyrillus. Hinc in ejus declaratione pag. 150. ait: *Omnes itaque Evangelii voces, sive illæ humanum quid sonent, sive divinum, ἐν προσηώρῳ, uni Personæ tribuimus*. Atque in Apologetico pag. 170. Arius, Eunomius, & Apollinarius, & omnes societatis illorum chori, studebant inducere nomen hoc Dei Genitrix, ut si commixtio fieret, & naturæ non distinguerentur, nihil humile de humanitate accipiendum esset, locumque jam haberent ipsi contra Deitatem. Et paulo infra: *Nos vero utilissime anathematismum fecimus, non permittendo in duas dividi personas, & subsistentias, εἰς δύο προσώπα τὸ, καὶ ὑποστάσεις, unum Dominum Iesum Christum*. Adverte Cyrillum tam in Anathematismo, quam in ejus declaratione non solum *ὑποστάσεις* posuisse, sed etiam *προσώπα*, dispellens omnem erroris suspicionem.

In v. Anathematismo ægre ferebant Orientales, quod noller Cyrillus *Christum dici Θεοφύγον, Deiferum*; cum idem vocabulum etiam Basilii, alique usurpaverint. Sed facili negotio Cyrillus criminationem istam propulsat pag. 152. demonstrans adhibendam non esse hanc vocem *θεοφύγον* adversus Nestorianos autumantes Verbum habitare in Christo tanquam

16.  
Obicitur 5.  
& Respond.

17.  
Obicitur 6.  
& Respond.



quam in Sanctis, de quibus Apostolus in 1. ad Corinth. VI. 20. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*: Et II. Epist. VI. 16. *Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos*. Et quidem nonne etiam Ignatius Martyr dicitur Θεοφόρος, in Chronico Alexandrino, in Actione prima Concilii Generalis VIII. in Græcæ Ecclesiæ Menaæ, atque in suarum Epistolarum initio, ut diximus Volumine II. pag. 160? Hoc itaque nomine, quamvis nondum exortis Nestorianis inculcate usurpato, intempestive usus foret horum hæreticorum acerrimus Inſector. De Basilio dictum est cap. XIII. præcedenti.

18. Obijciatur 7. & responde-  
tur. Movit Orientales, quod Cyrillus inquit in VI. Anathematismo, *Deum non esse Dominum Christi*, cum is tamen servus dicatur ab Esaiâ, Verum Anathematismus ad hunc plane modum se habet. Εἰ τις Θεοῦ, ἢ δεσπότης εἰναι λέγει τὴν Χρῆστος, τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς γόνον, *Si quis dixerit Dei Patris Verbum esse Deum, vel Dominum Christi, &c.* Non ait hoc loco Cyrillus, aut non esse in Christo formam servi, aut non posse appellari servum Patris secundum humanitatem; negat alium esse Verbum Dominum Christi, & alium Christum servum Dei Verbi, adversus Nestorium, qui Christum à Domino divellebat. Explicat se apertissime Cyrillus sequentibus ejusdem anathematismi verbis: *Et non potius Deum simul, & hominem ipsum confessus fuerit, prout Verbum caro factum est, &c.* Et in libro contra Nestorium III. cap. 2. *Ubi unquam Deus Christi ipsum Dei patris Verbum dictum est? Unus est enim Dominus Jesus Christus*. Nihil anathematismus iste ad illam quæstionem, num Christus spectata natura hominis possit dici servus Patris, de qua infra: hic enim solummodo definitur Christum non esse servum Verbi; quia nemo servus est sui ipsius.

19. Obijciatur 8. & responde-  
tur. Adversus anathematismum VII. in quo vetat Cyrillus, ne dicatur *Deum Verbum in homine Jesu fuisse operatum*, opponebant Sophistæ negari ab eodem Cyrillo, quod tradit Paulus scribens ad Ephesios I. 19. & legitur Act. Apost. II. Christum virtute Dei è mortuis surrexisse, & mirabilia patrasse. Retundit hanc oppositionem Cyrillus in Declarat. hujus anath. pag. 176. dicens nunquam se denegasse, quod Pater in Christo, & Verbum in assumpta hominis natura fuerint operati, sed duntaxat quod Verbum Deus operatum fuerit in homine Christo, tanquam in persona ab ipso Verbo

distincta. Quod Pater (inquit) ex mortuis resuscitasse Dominum nostrum Jesum Christum dicatur, ex opere scilicet circa ejus carnem effecto, nemo est, qui ambigat. Ipse autem cum sit vita, & vivificator, & operatoria virtus Patris, suum vivificabat templum, juxta illud: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. itaque quod vivificabatur non erat alienum, neque alicujus ex hominibus nobis similibus, sed proprium ipsius Verbi corpus. Sat est ad omnem expellendam criminationem ipsius anathematismi verba expendere, Εἰ τις φησὶν, ὡς ἄνθρωπον, ἐνεργῆσαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ λόγῳ τὸν Ἰησοῦν, καὶ τὴν τοῦ μονογενοῦς περὶ αὐτοῦ, ὡς ἑτέρου παρ' αὐτὸν ὑπάρχοντι. *Si quis Jesum tanquam hominem à Dei Verbo operandi vim habuisse, & Unigeniti gloriam illi, tanquam alteri cuiuspiam ab ipso Verbo advenisse ait, anathema sit*. En aperte affirmat S. Cyrillus Verbum Deum non operatum in homine Jesu, ὡς ἑτέρου παρ' αὐτὸν, tanquam in alia persona distincta ab ipso Verbo Unigenito filio Dei.

In VIII. Anathematismo, in quo docuit Cyrillus una adoratione colendum esse Emmanuelem, neque assumptum hominem adorandum cum Deo Verbo tanquam alterum cum altero, rationem afferens, quia particula cum, σύν significat distinctam personam; arguebant Cyrillum secum ipso pugnare, quod alibi scripserit *Verbum affidere Deo Patri μετὰ σαρκός, cum carne*. Est enim vis eadem particulae σύν, & μετὰ. Respondet Cyrillus Apologetici pag. 180. utique utriusque particulae eandem esse potestatem, sed verborum complexionem esse spectandam. Nam si dixerò, E. G. animam cum suo corpore honore affici; particula cum non demonstrat distinctionem personarum, quia personæ his verbis minime significantur, anima enim & caro non personarum sunt nomina, sed naturarum. At si dixerò simul conglorificari servum & Dominum, hominem & Deum, possum innuere personarum discrepantiam, quoniam hæc vocabula non significant tantum naturas, sed etiam hypostases, ac personas. Bene habet. Itaque Cyrillus dicens *Verbum simul cum carne adorandum, τὸν λόγον μετὰ σαρκὸς δὲν προσκυνεῖσθαι*, non multiplicat substantias, quia caro nomen naturæ est, non personæ: at Nestorius affirmans hominem assumptum una cum Dei Verbo adorandum, tanquam alterum cum altero, τὸν ἀναληφθέντα ἄνθρωπον συμπροσκυνεῖσθαι δὲν τῷ Θεῷ λόγῳ, ὡς ἑτέρον ἑστέον, personas divellit; quia dicens ho-

20. Obijciatur 9. & responde-  
tur.



minem, & Deum, alterum, & alterum, designat sejunctas hypostasies. Igitur factus est anathematismus contra eos, qui modis omnibus dividunt Emmanuel in hominem seorsim, & Deum Verbum seorsim: inquit eo loci Cyrillus.

21. *Obijciatur 10. num. Iesum Christum non esse glorificatum à Spiritu sancto, tanquam ab aliena virtute.* & responde-  
tur.

Anathematismus IX. definit Domini Iesum Christum non esse glorificatum à Spiritu sancto, tanquam ab aliena virtute. Accusatores Cyrilli hinc inferebant, ab ipso denegari, quod Christus plura signa fecerit efficientiâ, ac potestate divini Spiritus. At merito vir sanctus respondet hanc esse puram putamque calumniam. Affirmans enim Spiritum sanctum non esse virtutem alienam à Christo, imo statim addens eundem Spiritum sanctum, per quem signa operatus est, proprium esse ejusdem Christi, sicut est Patris, docuit manifeste Christum non esse personam sejunctam à Deo Verbo, nec signa patrasse virtute aliena, quemadmodum de seipso testatur Petrus Act. 111. 12. sed esse eandem personam Verbi, & habere cum Spiritu sancto unam divinitatis naturam, ac potestatem, ideoque operatum fuisse signa, ac prodigia virtute propria. In proposito anathematismo (inquit in Apologet. pag. 182.) affirmavimus manifeste, proprium esse Filii Spiritum sanctum, & quod per ipsum perfecit divina signa. At illi, quamvis sæpe affirmant me oblitum esse meorum sermonum, in eam progrediuntur stupiditatem, imo dementiam, ut patent me dicere, quod Iesus demonia non eiecit per Spiritum. An non hæc manifesta calumnia est?

22. *Obijciatur 11. ipsum Deum Verbum esse Pontificem, & Apostolum confessionis nostræ: quod sane Christo tribuitur in Epistola ad Hebræos 111. 1. Adversus Cyrilli assertum opponerant Orientales, non posse Deo Verbo convenire, ut dicatur summus Sacerdos.* & responde-  
tur.

Definit Cyrillus in X. Anathematismo, ipsum Deum Verbum esse Pontificem, & Apostolum confessionis nostræ: quod sane Christo tribuitur in Epistola ad Hebræos 111. 1. Adversus Cyrilli assertum opponerant Orientales, non posse Deo Verbo convenire, ut dicatur summus Sacerdos. Nam in eadem Epistola ad Hebræos, 111. 15. legitur hunc Pontificem, ut compateretur infirmitatibus nostris, tentatum fuisse per omnia pro similitudine absque peccato: quæ in Christum ut hominem possunt quadrare, at in Deum Verbum non possunt. Præterea Sacerdos Deo offert sacrificium: Verbum autem, cui Deo suo, vel quale ministerium suum offerre potest? Hæc Infectatores Cyrilli. Sed is respondet, Verbum exinanitum accipiendo formam servi, & carnem factum, quemadmodum sacræ literæ tradunt. Ut ergo Deus Verbum dicitur exinanitum, & factum caro ratione humanitatis assumptæ; ita non repugnat, quod sub hac

ratione appelletur Apostolus & Sacerdos. Quoniam vero Nestorius aiebat Christum Iesum, & Filium Virginis esse alium à Deo Verbo, & paulatim ad Pontificis dignitatem fuisse provecum; docet Cyrillus hoc anathematismo, Christum, qui est Pontifex, & Apostolus confessionis nostræ esse unum, idemque Verbum Dei Patris, quod fuit ab æterno. Quomodo enim (inquit contra Nestorium lib. 111. cap. 4.) progressus est, ut temere fabularis, ad Pontificis dignitatem, cum Deus sit omnipotens? Objectionem itaque Orientalium plane diluunt, quæ idem Cyrillus scribit in Apologetico pag. 189. Quando dicis, indignum esse Deo, ut sacrificet, ad stipulor & ego. Sed si solum esset, & absque carne Verbum, verum diceret: at vero quia factum est caro, vide & sacrificantem propter humanitatem, & in dignitatibus ultra creaturam, sicut Deum.

Undecimus anathematismus definit Domini carnem vivificam ipsius Verbi, quod ex Deo Patre est, propriam esse, & non alterius cujuscumque ipsi Verbo secundum dignitatem conjuncti. Ipsi Orientales in hujus anathematismi oppugnatione affirmarunt propriam factam dominicam carnem Verbi per unionem; unde apparet non dogmatillos errasse, sed mala verborum Cyrilli intelligentia. Suspicati ergo sunt, ne forte opinaretur Cyrillus dominicam carnem non esse è nobis assumptam, cum hæreticis cap. 2. refutatis. Superfluum quippe eis videbatur adjicere, quod non est caro dominica alterius cujuscumque, posteaquam dictum fuerat quod est propria Verbi: ideoque suspicabantur in his verbis latitare perfidiam antiquorum hæreticorum. At nugæ sunt istæ, & patidæ cavillationes: nam Cyrillus in hoc anathematismo expresse docuit dominicam carnem non esse alterius cujuscumque, tanquam alicujus personæ conjunctæ cum Verbo secundum dignitatem, ὡς ἐπέκειντο τῷ σώματι αὐτῶν, συνήκουσεν γὰρ αὐτῷ κατὰ τὴν ἀξίαν. Itaque vox ἐπέκειντο, alterius, non excludit consubstantialitatem dominicæ carnis cum materna, ex qua assumpta fuit ac propagata: sed tantum demonstrat non esse carnem alterius personæ, ut contendebat Nestorius; cujus nequitiam si plane Orientales deprehendissent, nunquam certe tanta acerbitate doctrinam Cyrilli vellicassent.

Postremus anathematismus tribuit Deo Verbo passiones, ipsumque appellat passum, & crucifixum. Quomodo, inquit Orientales, possumus Deo Verbo mortem

tem



tem ac paſſionem adſcribere? Inepta, & nimis cavilloſa obſectatio. Non ait Cyrillus divinitatem paſſam, & crucifixam; imo nec abſolute inquit paſſum & crucifixum Deum; quæ tamen num dici poſſint in ſequentibus inquiremus: ſed omni adhibito temperamento, ne quis paſſionem ac mortem tribueret divinitati cum Apollinariftis, aut negaret

Chriſtum paſſum & crucifixum eſſe ipſum Dei Verbum incarnatum cum Neſtorianis, ait idem Verbum *paſſum carne, crucifixum carne, mortuum carne, παθόντα σαρκι, ναι θάνατον ὑποκυλέων σαρκι*. Atque ex his apparet nihil eſſe in Divi Cyrilli anathematismis, quod non ſit per omnia fidei Catholicæ conſentaneum.

## C A P U T XVI.

De fide illorum, qui ſteterunt adverſus anathematismos Cyrilli.

### S U M M A R I U M.

1. Præliminaria ad propoſitionem.

2. Joannes Antiochenus cum ſuis non approbavit Hæreſin Pelagianam.

3. Nec Neſtorianam.

4 & 5. Obſectationi ſatisfit.

6. 7. & 8. Quid ſenſerit Theodoretus de Cyrillo.

9. & ſeqq. Solvuntur obſectationes.

1. Status quæſtionis.

**M**ANIFESTUM eſt ex dictis refutaſſe Anathematismos Cyrilli Orientales, qui cum Joanne Antiocheno convenerant ad Pſeudofynodum Ephesi- nam, & ſingularem eorundem Anathematismorum Conſutationem edidiſſe Theodoretum Episcopum Cyri. Oritur hinc quæſtio, num hi errore facti perſonæ tantum Neſtorii fuerint patrocinati, an etiam probando illius dogmata Orthodoxam fidem peſſumdederint. Et quoniam adhærebant Joanni Julianus, Orontius, alique Episcopi Pelagiani è propriis ſedibus expulſi, atque in Actis ejusdem Synodi legitur quidam Canon Pelagianam hæreſim continens; hoc etiam controvertitur, an hanc foverit idem Joannes Antiochenus Antistes. De Joannis, ac factionis ſuæ ſuppoſito Pelagianismo erudite pertractant Lupus diſſert. de Synodo Ephesi- cap. 4. Garnerius Tom. 2. in Opera Mercatoris pag. 61. & ſequentibus, Norſius lib. 11. Hiſt. Pelagianæ cap. 9. Pagius ad annum 431. num. xxvi. & alii permulti. Immu- nem fuiſſe Joannem à dogmate Neſtoriano probant cum laudatis eximiis vi- ris Nat. Alexander diſſert. ix. in Hiſto- riam Eccleſ. ſæc. v. Tournely de Incar- nat. pag. 256. Boucat diſſert. 111. Sect. iv. De Theodoro plura ibidem Lupus, Norſius in diſſert. de Synodo quinta, Garnerius in Operum Theodreti Au- ctario. Omnia ſingillatim ſunt proximis poſitionibus finienda.

2. Propoſitio 1.

PROPOSITIO I. Joannes Antiochenus, & Orientales, qui ſteterunt adverſus anathematismos Cyrilli, neque Pelagianam, neque Neſtorianam hæreſim approbarunt,

Et quidem, licet in illo ſeditioſo con- greſſu Pelagiani Episcopi adhærerent Pa- triarchæ Antiocheno, is illos minime ad- miſit ad ſubſcribendum damnationi xii. Capitulorum Cyrilli, ut liquet ex no- mine ſingulorum, inter quos nec unus Pelagianorum enumeratur. Deinde cum Joannes Synodo abſoluta, & minacibus Theodoſii literis permotus ad ineundam cum Cyrillo pacem edidiſſet Symbolum fidei ſuæ, atque illud per Paulum Episco- pum Emiſſenum curaffeſſet perferendum ad ipſum Cyrillum; non ſolum Pelagia- na dogmata nullatenus expreſſit, ut li- quet ex eodem Symbolo, quod recitatur à Liberato cap. 8. & legitur in Actibus Ephesiſis; verum etiam fidem Catholi- cam, & irreprehenſibilem expoſuit, ipſius Cyrilli teſtimonio probatam, & confir- matam, ut dictum eſt Capite præceden- ti. Ferventibus inſuper inter Cyrillum & Joannem diſſidiis, utrinque ſibi obſectie- bant Pelagianismum, & communionem cum Cæleſtianiſis, ut demonſtrat Norſius ex Epistolis S. Cyrilli ad Cæleſtinum, & Orientalium ad Rufum Theſſalonicen- ſem; quamquam calumnia erant aperta quæ adverſus Cyrillum Schismatici dif- famaverant; Cyrilli autem ſuſpicio temeraria non erat, ſed orta ex Pelagia- norum cum Neſtorianis, ipſique Schis- maticis conſuetudine. At inverſimile eſt Orientales in Ephesi- na Pſeudofynodo probaſſe hæreſim Pelagianam, cujus Memnonem, Cyrillum, alioſque Or- thodoxos inſimulabant. Ad hæc Sanctus Cyrillus ineundo pacem cum O- rientalibus nihil legitur poſtulaviſſe de Pelagiano canone, quem aliqui in Sy- nodo illa Orientalium putant fuiſſe editum:

Probatur  
1ma pars.



editum: quod fecisset utique, si revera Joannes eique adhaerentes eundem canonem approbassent; nunquam enim in communionem recepisset addictos erroribus Pelagianorum, quos ipsi Patres Ephesinidamnaverant, & damnatos Romæ acceperant à Legatis Sedis Apostolicæ. Demum ipse Nestorius in Symbolo, quod extat in Collect. Conciliorum Edit. Ven. Tom. iv. pag. 207. Christum opponens Adamo hunc originalis peccati, & præsentium calamitatum facit auctorem: ideoque si Nestoriani ipsi saltim aperte non negabant originale peccatum, licet eundem cum Pelagianis institutum habuerint, Theodorum scilicet Episcopum Mopsuestenum; multo minus idem peccatum denegasse dicendi sunt in Ephesino conciliabulo Joannes Antiochenus, & Episcopi Orientales.

3.  
Demonstratur, Joannem cum suis non adhæsisse hæresi Nestorianæ.

Demonstratur 2do.

Hæresi autem Nestorianæ nunquam Joannem cum suis præbuisse assensum demonstratur primo, quia ante Ephesinam Synodum Joannes ipse coegit Conventum Antiochenum, mandavitque ut omnes Apostolicis Cœlestini Epistolis exhiberent obedientiam: ipsum Nestorium de turbatis Ecclesiis, & refutata voce Theotocos acriter literis suis redarguit; ipsumque ad palinodiam recantandam, appellandamque *Deiparam* sacram Virginem graviter hortatus est, ut liquet ex præcedenti cap. XIII. narratque in disfert. de Synodo Ephesina Christianus Lupus, Pagus ad annum 430. num. xx, aliique viri docti complures. II. Si cum primum pervenit Joannes Ephesum oblitit Cyrillo & Synodo Orthodoxorum; plures simul causæ virum optimum in facti errorem, sinistrumque judicium pertraxere. Prima harum causarum fuit celeberrima Nestorii fama, hujusque ad Joannem Epistolæ, quibus hæreticus vaferrime contestabatur se non alia ratione vocem *Theotocon* repudiasse, nisi ob hæresim Apollinarii, & ne quis impie opinaretur divinitatem fuisse demutatam. Accessit causa altera, quod Episcopi Pelagiani suadente Nestorio ex Regia urbe ad Joannem perrexerant Antiochiam, innumeris impensisque laudibus eundem Nestorium cumulantes, Cyrillum vero insimulantes tyrannidis, hæreseos, animique contumaciæ. Adfuit causa tertia, quod cum vix pervenisset Ephesum, & nondum excusso pulvere ingressus esset cubiculum, stitit se illi Candidianus comes accusans Cyrillum, quod se ejecisset è Synodo, quod adversarios Episcopos barbarice insectaretur, & quod in Nestorium absque ul-

lo examine & maturitate judicii sententiam jam pronuntiasset. His ergo permotus Antiochenus antistes, his fraudibus circumventus, quid mirum si indicto suorum Conventu irritam habuit Nestorii depositionem, & sinistrum de Cyrillianis Capitulis judicium protulit? III. In ipso Pseudoconventu nunquam legitur approbasse dogma Nestorianum: Symbolum ibidem conscriptum, atque Orientalium Apologiam idem Cyrillus in Epistola ad Acacium appellavit irreprehensibilia; neque addictos partibus Nestorianis admisit ad subscriptionem Actuum Synodaliem, quemadmodum in superioribus dictum est. IV. Cum reverfus Antiochiam rerum à se gestarum Romano Pontifici, aliisque Episcopis per literas rationem exhibuit, nullus Joannem damnavit crimine hæreseos, sed tam à Sixto III. quam à Synodo Chalcedonensi Aet. 16. accepit fidei suæ præclarissimum testimonium. Romanus enim Pontifex hæc de illo scripsit: *Non se exuli vestro (id est Nestorio) frater noster Joannes addiderat, non ejus est blasphemum prædicatione deceptus: nam, quantum verum exitus docet, suspendit suam sententiam, non negavit.* Ac Synodus Chalcedonensis: *Sapientissimus Joannes Antiochenus Episcopus, qui barbaricorum maledicta repellens, & Apostolicæ doctrinæ rectissimum dogma declarans totius Orientis confessionem velut ex uno ore sanctissimo Proclo, & ei qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, definivit.* V. Reverfus Joannes Antiochiam Imperatori ipsum provocanti ad ineundam cum Cyrillo pacem nullis perterritis minis respondit, *Præter illa ipsius Capitula Fidem meam Cyrillo dirigam, quam si suscipiens subscripserit, communicabo ei: alioqui pacificus cum eo esse non potero.* Et revera coacta anno 432. Antiochena Synodo Fidem edidit, quam supra diximus delatam ad Cyrillum per Paulum Episcopum Emisenum, & quam ipse Cyrillus appellavit *irreprehensibilem*, affirmans coram universo Alexandrino populo ita de Christo credendum esse, sicut Joannes credebatur. Perlata posthac à Paulo Antiochiam Epistola Cyrilli, & exhibita Archiepiscopo, ejusque Concilio, hi *pacem cum eodem Cyrillo, & ejus fecerunt Concilio damnaantes Nestorium*; inquit Liberatus Diaconus in Breviario cap. VII. in Conc. Labbei Tom. v. pag. 748. Servavit itaque Joannes Antiochenus cum Orientalibus suis Fidem, quantum ad dogma spectat, incontaminatam, ac puram; apertoque errore deceptus est Riccilius,

Demonstratur 3to.

Demonstratur 4to.

Demonstratur 5to.



lius, qui illum hæreticis accenſuit, jure optimo caſtigatus à Norſio lib. 11. Hiſt. Pelagianæ cap. 1x.

DILUITUR OBJECTIO.

4.  
Objeſtur.

At Joanni Antiocheno, & celebratæ ab ipſo Orientalium Synodo jure Pelagianæ ac Neſtorianæ hæreſis notam affricari, poteſt primo evinci, quoniam in ſubſcriptione ejusdem Synodi reperitur Julianus Pelagianorum ſignifer, qui Epiſcopatu deſectus confugerat ad Aſiaticos. Deinde in ea Synodo definitum fuiſſe, *Adæ animam peccato non eſſe mortuam*, ut inquit Gregorius Magnus Epiſtola ad Eulogium. Præterea Epiſcopos illius Synodi fuiſſe Neſtorianos conjicitur ex impugnatione ab ipſis facta Anathematismoꝝ S. Cyrilli, ex quo Orthodoxæ Synodo Ephēſinæ pugnaciſſime obſtiterint, & demum ex Cyrillo, aliſque Orthodoxis qui non ſemel Orientales erroris inſinularunt, ut conſtat ex Apologia ipſius Cyrilli, & ex Epiſtola Synodica Concilii Ephēſini ad Clerum Conſtantinopolitanum.

5.  
Reſpondetur. Reſpondetur hæc nullius eſſe momenti: nam ad primum aperte liquet, non Julianum Eclanſem, de quo plura in 2. Volumine, ſed Julianum Epiſcopum Laſiſæ firmæſſe Epiſtolam Synodicam ad Epiſcopos Provinciarum, una cum aliis Act. Synodi Orientalium, in cujus ſubſcriptione conſpirarunt xlii. Catholici Epiſcopi, nulla mentione facta ſive Juliani Pelagiani, ſive Orontii, ſive Flori, ſive aliorum Pelagianorum. Extant adhuc Acta illius Pſeudo Concilii, & Epiſcopoꝝ nomina in Collect. Concil. Labbei Tom. 3. pag. 589. & Harduini Tom. 2. pag. 1446. ibique Juliani nomen habetur hoc pacto: *Ιουλιανὸς Πελαγίου*. Ad alterum ſatiſfecit Aoriſius lib. 2. H. P. cap. 9. demonſtrans ex eadem Gregorii Epiſtola Pelagianum canonem non eſſe genuinum, ſed ſuppoſitum, aſſirmante ibidem Gregorio, *Perſcrutantes Ephēſinam Synodum, nihil in ea tale invenimus contineri: de Ravennati quoque Eccleſia vetuſtum valde codicem ejusdem Synodi ad nos deferri fecimus, & ad Synodum, quam habebamus eum ita concordare invenimus ut in nullo diſcreparet, & nihil aliud continet in definitione anathematis & reprobationis, niſi quod duodecim Capitula beatæ memoriæ Cyrilli reprobat*. Tertium habet ex dictis manifeſtam ſolutionem; nam Cyrillus & magna Synodus Ephēſina putabant Orientales probare Neſtorianas blaſphemias, propterea quod noluerant Syno-

R. P. Berti Theol. Tom. V.

do intereſſe, oppugnarant xli. Anathematismoꝝ, coegerant in eadem urbe Ephēſi Synodum aliam, & Neſtorio addictis familiariter utebantur. At id Joannes cum ſuis fecit deceptus errore facti, nunquam Catholico dogmate labefactato; ut demonſtratum eſt ſupra.

PROPOSITIO II. Ut de Theodoretocertum proferatur judicium, tempora, ejusque ſcripta diſtingui debent.

6.  
Propoſitio 2.

Explicatur, ac ſimul probatur propoſitio. Dum primum erupit hæreſis Neſtoriana, & etiam circa tempora Ephēſini Concilii, atque ante initam pacem Eccleſiarum, Theodoretus ſaltem Neſtorii perſonæ ad hæſit. Id extra omnem controverſiam poſitum eſt: ac probatur primo, quoniam Theodoretus impugnavit S. Cyrilli anathematismoꝝ: ſcripſit ex civitate Ephēſina ad Andream Samofatenſem Epiſtolam, qua graviffime culpavit Orthodoxoꝝ Synodum, & Theodoſium Auguſtum; & etiam conqueritur fidem Chriſti, omnemque Eccleſiam periclitari. Dedit & Epiſtolam ad Neſtorium, in qua ſcribit inique hunc fuiſſe damnatum, ipſumque blandis ac lenocinantibus verbis ſolatur, perpetuam ſpondens illi amicitiam, & S. Cyrillum tanquam Apollinariſtam inſectans. Deinde probatur, quoniam Theodoretus tanquam Neſtorianus audit non ſolum apud Cyrillum, verum etiam apud Marium Mercatorem, Vigilium Papam, Quintam, Sextam, ac Septimam Synodum, Pelagium Secundum, Gregorium Magnum, Maximum Antiochenum, Liberatum Diaconum, & alios, quorum teſtimonia recitat, doctisque notationibus illuſtrat Garnerius diſſ. 3. Auſtarii. Accedit argumentum negativum: nam nulla Synodus Oecumenica Theodoretici ſcripta probavit, nec etiam Chalcedonenſis, quæ ipſum fauſtis acclamationibus recepit: nulla pariter Synodus Catholica dogmata confirmavit depromptis ex Theodoretici teſtimoniis: nullum denique ætate ſua habuit deſenſorem, qui eorum, quæ ſcripſerat adverſus Cyrillum, ſuſciperet patrocinium.

explicatur,  
&  
ſimul probatur.

Nec ſolum Theodoretus Neſtorianis patrocinatus eſt, verum etiam aliquando tradidit illorum dogmata: quod primo ex ejus ſcriptis oſtenditur. In confutatione enim 1. Cyrilliani Anathematismoꝝ negat Deiparam Virginem revera Deum genuiſſe, docens generaſſe duntaxat hominem unitum Deo, qui eum complasma- vit. Oppugnat quoque in Anath. x. unionem ſecundum hypochaſim: atque in Pentalogio cap. v. explicat nexum dua-

7.  
Error Theo-  
doretici ulte-  
rior probatur.

S

rum



rum in Christo naturarum exemplo viri, & uxoris, de quibus scriptum est, *Jam non sunt duo, sed una caro*: & quod aperitissime Nestorianismum redolet, ait ibidem: *Sine sua persona nefas est asseverare substantiam*. Videatur Garnerius citato loco, & Nat. Alex. Diss. IV. Sæculi VI. Præterea v. Synodus cap. XIII. adversus impia Theodoretī scripta, vulgo *secundum capitulum* nuncupata, atque in eos, qui scripta illa defendunt, intorsit anathema: neque Synodus hæc præstitit adulatorie, atque ex rescripto Justiniani; sed Collatione v. perlecta fuerit ipsa Theodoretī adversus Cyrillum Excerpta, & Epistolæ, quas paulo supra commemoravi, cum alia de morte Cyrilli, de qua infra. Itaque maturo judicio Theodoretī causa peracta est, & sacrosanctæ Synodi definitio etiam à Vigilio, re diligenter excussa, & à Pelagio, cæterisque successoribus confirmata plurimi est faciendā. Demum qui huic assertioni repugnant, possunt ex memorato canone XIII. hac ratiocinatione percelli: Defendit Scripta Theodoretī quisquis affirmat in his nequaquam contineri errorem Nestorii. At qui defendit scripta Theodoretī ab Universali Ecclesia subijcitur anathemati. Igitur subijcitur anathemati, quisquis affirmat in Scriptis Theodoretī minime contineri errorem Nestorii. *Quid ergo fiet Theodoretī quibusdam quasi idololatriis?* inquit Garnerius laudata dissert. III. pag. 465.

8.  
Theodore-  
tum respuit  
se probatur.

Respuit tamen Theodoretus, & magis illulcente veritate, ac errore Nestorii patefacto, impium ejus dogma refellit. Atque id probatur primo, quoniam subscripsit Epistolæ Leonis Magni, in qua Nestoriana hæresis profligatur, & ab ipso Leone in communionem receptus est, declaratus Orthodoxus, atque dignis laudibus cohonestatus. Deinde probatur, quia anno 451. & ipse interfuit Oecumenicæ Synodo Chalcedonensi, à qua receptus ex decreto Leonis, & Marciani, quamvis principio obstitissent Episcopi Aegyptii, Illyriciani, ac Palæstini, suscepit Ephesinum Concilium, & S. Cyrilli Epistolæ ad Nestorium, & ad Orientales: subscripsit etiam Act. 5. cum cæteris Episcopis decretis Synodalibus, dixitque anathema iis, qui in duos filios dividunt Dominum nostrum Jesum Christum. Præterea Theodoretus in Epistola ad Dioscorum, aliisque in locis disertissime Catholicam veritatem propugnat, præsertim si consulantur, quæ serius conscripsit & circa annum 447. quo data est

laudata ad Dioscorum Epistola num. LXXX. Tandem cum absoluta Synodo Chalcedonensi causa Theodoretī VIII. Kal. Novembris discuteretur, & nollent Episcopi audire quam paraverat Apologiam, plena voce exclamavit: *Anathema Nestorio, & eis, qui non dicunt Dei genitricem Virginem Mariam, &c.* Igitur Theodoretus tandem etiam Nestorii personam nominatim anathematizavit, quod Sancti Episcopi jure meritoque mandarunt, etiam si ille Synodo subscripserat, & probaverat Epistolæ S. Cyrilli, propterea quod ad Ecclesiam pertineat non solum hæreses proscribere, & Catholicæ fidei dogmata propugnare, verum etiam Auctores errorum compefcere; quia nisi damnetur hæreses, fides Christi labasceret; & nisi hæreticos ipsos percelleret, perpetuo ebullirent schismata ac seditiones.

Denique Theodoretus diu erga D. Cyrillum videtur fuisse animo iniquo, revera existimans hujus anathematismos consentire hæresi Apollinarii, idque etiam post initam cum Joanne Antiocheno concordiam. Constat ex ejus Epistola de morte Cyrilli, de qua vide Lupum cap. 3. dissert. Synodi v. Norisium cap. 7. Pagium ad annum 444. num. 8. & Garnerium 2. p. Op. Mercatoris pag. 274. In hac Epistola dicitur Cyrillus defunctus, cum majora & pejora pertractaret, posteaquam prava somniaverat dogmata, & perturbaverat regiam Urbem. Assutam quidem hanc Epistolam, suppositamque plures censent, quibus non dissentit idem Lupus; ea ducti ratione, quod scripta dicatur ad Joannem Antiochenum, quem constat vita functum ante beatum Cyrillum: at Norisius post Petrum Marcum animadvertit non ad Joannem, sed ad Dominum fuisse datam, & pro Domino scriptum Joannem Antiochenum: cui Norisiana sententiæ subscribunt Pagius, & Garnerius loco citato. Producit quoque Norisius alteram ad Dominum Epistolam Theodoretī num. 112. in qua Theodoretus ait in duodecim Cyrilli Capitulis latere venenum: cumque hæc Epistola data sit anno 449. optime infert doctissimus Cardinalis potuisse Theodoretum etiam in alia Epistola contumeliis impetere Sanctum Alexandrinum Antistitem vita functum, quem constat obiisse anno 444. Verum, ut supra diximus, Theodoretus anno 451. doctrinam Cyrilli, & Synodum Ephesinam suscepit. Atque ex his explicata est, & comprobata nostra de Fide Theodoretī sententia.

AD



AD EA, QUAE IN CONTRARIUM OBJICIUNTUR.

9. *Objectiones.* Quod nunquam Theodoretus probaverit dogma Neſtorianum poſſet primum oſtendi, quia etiam in ſcriptis & Epiſtolis, quae exaravit ante Synodum Ephelinam conſtitetur unum eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. II. Quia ſummis laudibus celebratur à Facundo Hermianenſi, & maximam habuit venerationem apud Antiochenos. III. Quia fidei cauſa vexationes complures ab Eutychianis perpeſſus eſt. IV. Quia undique veritatem Catholicam ſpirant illius Epiſtolae ad Leonem, & ad Dioſcorum, nec non libri haereticarum fabularum.

10. *Ad has reſpond.* At hæc nullo pacto aſſertionem noſtram concutiunt. Ad primum dicimus neque Neſtorio aliquando negaſſe unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, unum ſcilicet honore, dignitate, amicitia, & animi conſenſione; nec in libris Theodoreti, ſcriptisque prioribus aliud ad ſignificandam duarum naturarum unitiorem reperi vocabulum, quam unum ex iſtis etiam à Neſtorio uſurpatis, ἐνολογίαν, ἐνδυτικὴν, ἀνολογίαν, ἐν ἀνθρώπινον, συνάρτησιν, id eſt, in habitationem, indumentum, receptionem, permanentiam in homine, & connexionem. Ad 2. reſpondemus non minorem fuiſſe famam ac celebritatem Theodori Mopſueſteni (quem tamen conſtat non fuiſſe Catholicum) apud cives Antiochenos, & Facundum Hermianenſem; atque hunc præſertim pro tribus Capitulis acerrime olim ſteſiſſe. Quod ſequitur nihil probat, cum è diametro pugnent hæreſes Neſtorii atque Eutychetis. Hujus generis eſt quod objicitur poſtremo loco; nam Theodoretus ſcripſit ad Dioſcorum poſt annum 447. ad Leonem anno 449. libros vero haereticarum fabularum anno 452. Nos vero Theodoretum hoc tempore reſpuiſſe minime deneamus.

11. *Sententia Noriſii im-*  
*pugnatur.* Veronenſes Presbyteri, quamquam ſententiam Noriſii de ſcripta à Theodoro Epiſtola adverſus Cyrillum jam demortuum non audeant reſellere, imo illam confirmant auctoritate Marii Mercatoris commemorantis ſermonem, quem adverſus Cyrillum vita functum Theodoretus habuit Antiochiæ, in edit. Baluzii pag. 339. attamen aliqua momenta proferunt, quibus videtur infringi. Primum eſt, quia Noriſius ex arbitrio & nullius manuſcripti auctoritate nomen Joannis Antiocheni in Domnum commutavit. Alterum, quia Theodoretus poſt initam cum Cyrillo communionem, ipſius quidem anathematismos repudiabat, ſed ſuam in eundem Cyrillum obſervantiam palam pro-

R. P. Berti Theol. Tom. V.

feſſus eſt, in Epiſt. præſertim ad Dioſcorum, & dialogo 2. in Eraniste. Tertium, quia hæc Epiſtola neque in Chalcedonenſi Synodo, neque à Mario Mercatore nominata fuit. Quartum, quia hæretici alias Theodoro Epiſtolas appoſuerunt, auctore Leontio Byzantino. Proximum argumentum eſt, quod auctor Epiſtolæ ſua det illum, ad quem ſcribit, ut ſepulchro Cyrilli imponat lapidem aliquem maximum & graviffimum, ne poſſit ad vivos remeare; quod Antiocheno Epiſcopo nullum jus habenti in tumulum Alexandrini nequit competere. Quod autem à Mario Mercatore aſſeretur Theodoretum in Eccleſia Antiochena coram Domino Cyrilli beatæ dormitioni inſultaſſe, etiam elevari poteſt, ex quo id Mercator referat ex Actis Latrocinalis Ephelinæ, in qua plura obſecta fuerunt Theodoro, quæ num ipſius fuerint omnino non liquet: & ex quo ipſe Theodoretus epiſtola 33. narret adſcriptum ſibi per calumniam habitum Antiochiæ ſermonem, quo duos filios dogmatizaverit. Præterea auctor illius ſermonis aperte ſe Neſtorianum hominem prodit illis verbis, *Homo generat hominem*; quod incredibile eſt aſum fuiſſe Theodoretum. Demum Pagius, qui ad annum Chriſti 444. pro Noriſii ſententia acriter dimicavit, magis explorata veritate illam Epiſtolam ſuppoſiticiam affirmavit ad annum 553. num. 13.

12. *Vindicatur*  
*Sententia*  
*Noriſii.* Reſp. ad 1. Noriſium non ex arbitrio, ſed ratione ductum mutaviſſe in Domnino men Joannem Antiochenum: cum enim liqueat ex omni Conciliorum collectione Epiſtolam illam dormitioni S. Cyrilli inſultantem haberi in Actis v. Synodi, ibi fuiſſe lectam, & ex ea, aliisque hæc Synodus confirmari ſententiam Concilii Ephelinæ adverſus Theodoretum; atque ex alia parte inverſimile ſit, neminem ex Patribus v. Synodi compertum habuiſſe, quod Joannes Antiochenus deceſſerat ante Cyrillum, ideoque neminem hujus Epiſtolæ deprehendiſſe ſuppoſitionem; ſequitur hanc eſſe factum Theodoreti genuinum, ac nomen Joannis pro Domino mendose irrepiſſe. Deinde etiam Epiſtola 117. & 140. ſupponuntur ſcriptæ una ad Florentium Epiſcopum, altera ad Aſparem Conſulem; & tamen licet utriusque inſcriptio mentiatur, nemo prudens cenſet eſſe repudiandas. Præterea ſtatim poſt hanc Epiſtolam recitatur eſt fragmentum Allocutionis, quam Theodoretus habuit Antiochiæ præſente Domino; ex quo Marca confirmat ſententiam ſuam, quod etiam præcedens Epiſtola Domino fuerit dicta. Ad 2. reſp. quod Epiſtola Theodoreti ad Dioſcorum data eſt anno 447. tribus poſt



post obitum Cyrilli annis, cum Theodoretus, ut diximus, incipiebat resipiscere, & de persona Cyrilli servata æquitate loquebatur, etsi improbabat adhuc ejus anathematismos: serius editi fuerunt Dialogi, in quibus aliorum Episcoporum post Cyrillum recitat testimonia; ut nihil dicam interim de variis circa eosdem Dialogos opinionibus. Ad tertium hæc sit responsio: Epistola Theodoretæ ad Domnum legitur in Act. v. Synodi: & nos repetimus cum Garnerio in Auct. Theodoretæ pag. 130. *Dedit igitur Domno Antiochiæ Episcopo Epistolam, quam ego ipsi malim cum Concilio generali tribuere, quam vel abjudicare cum Baronio, vel cum aliis vanas ob causas suspectam habere.* At Mercator non omnes prorsus Epistolas Theodoretæ collegit: ac præterea si hujus auctoritatem, ut æquum est, recipere volumus; cur non fateamur Theodoretum in publica concione oblocutum Cyrillo, quod tam aperte affirmat Mercator? cur tantum virum deceptum opinemur actis Synodi Latrocinalis Ephesinæ? In Chalcedonensi autem Synodo, posteaquam Theodoretus dixit anathema Nestorio, causa ipsius absoluta est; neque ejus accusationes, neque ejus Apologia lectæ fuerunt. Respondeo ad 4. detur hæreticos Epistolas plures supposuisse Theodoretæ, ut inquit Leontius; num supposuerunt & istam, quam illi tribuunt cum v. Oecumenica Synodo omnes fere docti, si fides habenda est Garnerio in notis ad hanc Epist. pag. Auctarii 99. Unde autem supposuisse probantur? An quia exiliter, & impudenter dicta continet? Scripta est anno 444. statim post Cyrilli obitum; & scripta ab homine, qui diu bilem intime compresserat, scripta etiam ad Antiochenum familiari sibi amicitia conjunctum. An Epistolæ Auctor objicit Cyrillo aliquid, quod alibi Theodoretus non carpat? Nec quidem: nihil aliud dogmatis Cyrillo objicitur, nisi quod Deum passum dicat, & divinitatem faciat mortalem; id scilicet, quod millies Theodoretus objectaverat. Sed de quarto argumento satis. Quod proximo loco objicitur, movit doctissimum Marca, ut suspicaretur Epistolam Theodoretæ agere non de Cyrillo, sed de aliquo Episcopo subdito Patriarchæ Antiocheno: quod animadvertit etiam Baluzius. Vide postremam Collect. Venetam Tom. vi. pag. 127. At quis non videt Theodoretum, dum hortatur Domnum, ut Cyrilli tumulo prægrande saxum imponat, imitari joculari orationem Luciani in Dialogis de Mortuis, præsertim in Cataplo, ubi accusante Cyni-

seo similis poena statuitur Megapenthi; cui fortassis versatus & eruditus Cyrensis tacite comparat Cyrillum, à nonnullis, ut apud Lucianum Megapenthes, de tyrannide & patrata cæde accusatum?

Ea vero quæ opponuntur adversus concionem à Theodoretæ habitam Antiochiæ, videntur evincere oppositum. Si enim Mercator affirmat & absque ulla dubitatione tribuit illam Theodoretæ: qua ratione in Latrocinali Ephesina ab illius æmulis supposita fingitur? cur, dum ipsius concionis fragmentum recitatum est in v. Synodo, nullus Orientalium, qui aderant, & impenitens Theodoretæ patrocinabatur, respondit hæc supposita esse, & nunquam illum talia aut scripsisse, aut recitasse? Dum ergo quidam Mercatoris testimonium elewant, plenariæ Synodo impingunt notam ignorantis, turpisque oscitantæ. At inquit, ipsemet Theodoretus in Epist. 83. quæ est sua ad Dioscorum Apologia, ait sermonem illum sibi per calumniam adscribi. Idne ait Theodoretus? Minime: recitatam à se Concionem non negat; negat quod in ea Concione Christum divideret in duos filios, quod perperam negabant omnes Nestoriani: & consequenter ex hac Epistola probatur concionis γνησιότης. Insistunt: At Nestorianum se prodidit hujusce sermonis auctor. Quid inde verò? Sermo habitus est prope finem anni 444. quando Theodoretus adhuc cum Nestorianis sentiebat. Reponunt: Id nequaquam tolerasset Domnus, & populus Antiochenus: nunquid enim erant omnes Nestoriani? Dicimus nec tolerasse; ea enim concione habita, constat Theodoretum fuisse apud Imperatorem accusatum tanquam hæreticum Nestorianum, & reum seditionis, atque impietatis: quod narrat Theodoretus ipse Epistola 82. ad Eusebium Ancyranum. Sed vide Historiam Theodoretæ in Auct. pag. 131. & notas in Epist. 83. pag. 221. Quid de eruditissimo Pagio? Is ad an. 553. num. 13. ait, Epistolam, quæ legitur in Actis v. Synodi esse suppositam, ut recte, inquit, vidit Baronius, & suo loco ostendimus. At Pagius ostenderat oppositum ad annum 444. num. 8. nec demonstrant hæc verba, magis illum explorasse veritatem, sed ob immensam rerum copiam, quæ obversabantur amplissimæ illius menti, ad ea quæ scripserat non attendisse; aut saltem suppositam appellasse eandem Epistolam, non quantum ad ejus auctorem, sed quantum ad inscriptionem Joannis Antiocheni.

CAPUT



## CAPUT XVII.

An recte tria Capitula tanquam Neſtoriana fuerint proſcripta.

## SUMMARIUM.

1. 2. 3. & 4. Ponuntur præliminaria ad propoſitionem.

5. & 6. Probatur, tria Capitula merito fuiſſe damnata.

7. & ſeqq. Variis ſatisfit objectionibus.

1.  
Status quo  
ſionis.

**R**ECEPTO in Eccleſiæ communionem Theodoro in Synodo Chalcedonenſi, ut diximus ſupra, Origeniſtæ auctore Theodoro Caſareæ in Cappadocia Antiſtite, ad ultionem eorum, quæ contra Origenem geſta fuerant, curarunt novas excitare turbas impellendo Juſtinianum Imperatorem ad damnationem trium Capitulorum, ut prædictæ Synodi Chalcedonenſis eleuarent auctoritatem. Moverunt autem piſſimum Imperatorem fraude, ac prætextu comprimendi ſectam Acephalorum, eosque ad Eccleſiæ communionem adducendi, qui ab Alexandrino Epſcopo quod recepiſſet Chalcedonenſem Synodum rebel- larant, *Acephali* ideo appellati, quia ſine Capite dogmatizabant. Sunt autem tria Capitula, Theodoretſi ſcripta contra xii. Anathematismoſ Cyrilli, Ibæ Edeſſeni Archiepiſcopi Episto- la ad Marim Perſam, & Theodori Mopſueſteni, quem ſupra diximus Neſtorii magiſtrum, ſcripta, quæ *Judaica Nugæ*, ac *maledicta* appellantur. Horum autem Capitulo- rum diſquiſitio, quamvis multo poſt damnatam Neſtorii hæreſim tempore fuerint diſcuſſa, hoc à nobis loco inſti- tuitur propter maximam, quam habet cum ipſa Neſtoriana hæreſi affinitatem. Itaque aduerſus tria Capitula Juſtinianus Ediſtum promulgauit anno juxta Baro- nium 546. juxta Garnerium 545. juxta Noriſum verò anno 543. aut initio ſe- quentis. Noriſio ſubſcribendum eſt, cum Imperatoris Ediſtum reſcripto firmaverit Euphremius Antiochenus, qui è vivis deceſſit anno 544. Vide Noriſum de v. Synodo cap. 3. Pagium ad an. 546. & deſenſionem diſſertationis Noriſianæ editam à Balleriniſ Tom. i v. pag. 1002.

2.  
Diviſio Ec-  
cleſiæ.

Diviſa eſt ob Imperatoris ediſtum in partes Eccleſia; nam illud Orientales receperunt, ac Occidentales ſtererunt pro tribus Capitulis, rati horum damnatio- ne decurtari Synodum Chalcedonenſem, ejusque fidem imminui. Vigilius aduerſus tria Capitula *Judicatum* edidit anno 549. atque illud miſit ad Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum, con-

teſtatus ſe tria Capitula condemnare *ſal- va Synodo Chalcedonenſi*, & exiſtimans hac ratione ſatiſfactum iri utrique parti, Orientalium, quod tria Capitula pro- ſcripiſſet Occidentalium, quod nul- latenus Chalcedonenſi Synodi minue- retur auctoritas. At aduerſus Vigiliſ *Judicatum* ſteterunt quamplurimi, præ- ſertim Facundus Epſcopus Hermianen- ſis, cujus extant pro deſenſione trium Capitulorum libri xii. ad Juſtinianum Imperatorem. Juſtinianus, qui anno 546. Synodum indixerat, quam ob cau- ſam Vigiliſ perrexerat Conſtantinopo- lim, videns rem longius protrahi, nam abſque Occidentalium Epſcoporum in- terventu noluerat Pontifex ſententiam Synodaliter pronuntiare, atque ex alia parte ob Vigiliſ *Judicatum* diſſidiis per- crebreſcentibus, ſollicitatus à Theodo- ro Cappadoce tria Capitula condemna- vit affixo ediſto in Placidiana domo, & Epſcopis omnibuſtum Græcis, cum La- tinis evocatis. In hoc Ediſto aſſeritur Theodori nomen deletum è ſacris Eccle- ſiæ Mopſueſtenæ diptychis; quod com- pertum fuerat in Synodo Mopſueſtena celebrata anno 550. ideoque ediſtum iſtud diverſum eſt ab eo, quod promulga- tum diximus anno 544. aut ſub finem præcedentis, atque editum eſt anno 551.

Vigiliſ perſpicuens Theodorum Cap- padocem omnia moliri, atque his vio- lentiſ detineri Occidentales ne conveni- rent Byzantium, acerrime Ediſto reſti- tit, ſuſpenſis ab Apoſtolice Sedis com- munionem iſis, qui Ediſtis Juſtinianæ præ- berent aſſenſum: in Theodorum ac Men- nam ſententiam dixit habito congreſſu Italorum Epſcoporum: quam tamen pa- ci conſulens minime duxit publicandam: fugitque eodem anno 551. Chalcedonem, non ut Baroniſ ſcripſit, anno elapſo. Juſtinianus proximo anno 552. videns ni- hil firmari poſſe Romano Pontifice relu- ctante, eundem per Legatos convenit, ut publica accepta fide rediret Conſtanti- nopolim: ſed renuit Pontifex rerum cir- cumſtantiſ inſpectis. Proximo anno 553. rogatus ab Eutychio Patriarcha Conſtan- tinopolitano, ab Apollinari Alexandrino,

3.  
Reſtitit Im-  
peratori Vi-  
giliſ.



Domno Antiocheno, & Elia Thessalonicensi, ut Concilium tandem celebraret, & trium Capitulorum causam definiret, collaudata ipsorum fide, annuit, ut *facto regulari conventu, & servata aequitate* eadem causa discuteretur. Consentiente itaque Vigilio celebrata est v. Synodus generalis prædicto anno 553. cui tamen ob parvum numerum Episcoporum Occidentalium ipse Vigilius minime interfuit. In Collatione iv. habita die 12. Maji, & in v. habita die 17. ejusdem mensis, ut demonstrant Baluzius, & Pagius, lecta fuere scripta adversus Theodorum, ac Theodoretum, & Collat. vi. habita die Maji 19. discussum est Capitulum iiii. scilicet hæc Epistola. Collatione viii. habita die 2. Junii, aut 4. ut contendit Baluzius, Capitula fuerunt damnata.

4.  
Edictum Vi-  
gilii Papæ.

Ediderat Vigilius Papa *Constitutum*, quo Synodi acta exauctoraverat, propterea quod non expectatis Occidentalibus Synodalis coacta esset ex majori numero Græcorum Patrum, nec subeundum esset novum examen Theodoro, Theodoreto atque Ibas; quorum ille in pace Ecclesiæ obierat, licet pessima dogmata aliquando asseruerat, hi autem, scilicet Theodoretus & Ibas à Synodo Chalcedonensi fuerant absoluti, ac dignitate pristina decorati. At *Constitutum* Vigili in Synodo, quidquid causæ fuerit, lectum non esse demonstrant adversus Baronium Petrus de Marca in dissert. de Vigili decreto pro Confirmat. v. Synodi, & Pagius ad annum 553. num. xv. Cæterum Vigilius, qui in *Judicato* primum tria Capitula condemnauerat, postmodum Theodori fraude detecta diu hæsitaverat, & Synodum etiam illius artificio sollicitè, nec datis induciis coactam prædicto *Constituto* abrogaverat; eandem Synodum approbavit vel eodem anno 553. ut scribit Norisius in dissert. de v. Synodo Cap. 8. vel proximo anno 554. ut ex altero *Constituto* Vigili edito pro damnatione trium Capitulorum affirmat Pagius in hunc annum num. 4. Eandem Synodum v. confirmarunt alii Romani Pontifices, ut dicam infra. Ex his liquet Controversiam de Trium Capitulorum damnatione amplissimam esse, & plurimarum rerum contingentia, ac difficultate gravissimam. Legi de ea poterunt Norisius & Lupus in Dissert. de v. Synodo, Nat. Alex. dissert. iv. in vi. sæcul. Facundus Hermian. cum notis Sirmondi, Garnerius dissert. 4. de v. Synodo in Auctario Theodoreti, Pagius in not. ad annos supracitados, & Pagius alter in Vigilio, prælaudata defensio dissertationis Norisianæ;

& Notæ Variorum ad sect. 103. Anastasi Tom. 3. pag. 278. & sequentibus. Nos proxima thesi ea comprehendere curabimus, quæ quæstionem hanc dirimant, & quæ eidem conglomerantur sufficienter explanent.

PROPOSITIO. Fuerunt tria Capitula merito, ac jure damnata a. v. Generali Proposito, Concilio tanquam Nestoriana.

Ejusdem Concilii definitione, fide te. Probatur. f.  
stium omni exceptione majorum, atque ex ipsa trium Capitulorum doctrina hæc propositio firmatur. Ac prior argumentatio sit: Extra omnem controversiam positum est Synodum v. post accuratam trium Capitulorum discussionem eadem in octavo confectu damnavisse. Canone enim xii. intortum est anathema in eos, qui defendunt *impium Theodorum Mopuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum, & alium Christum*. Canone xiii. in eos, qui defendunt *impia Theodoreti conscripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Ephesinam sanctam Synodum, & sanctum Cyrillum, & duodecim ejus Capitula expesuit*. Canone demum xiv. in eos, qui defendunt *Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse, quæ abnegat Deum Verbum de sancta Dei Genitrice semper Virgine incarnatum, & hominem factum esse, dicit autem purum hominem ex ipsa natum, quem Templum vocat*. Atque hæc sunt tria Capitula Nestorianam, ut liquet hæresim continentia: ideoque nonnisi v. Generalis Synodi sententiâ spretâ possunt propugnari. Neque vero audiendi sunt, qui reponunt Quintam Synodum tolerantam potius esse, quam approbatam. Enimvero constat Vigilium Papam rematurius discussa, Epistola decretali data ipsomet anno post Conf. Basilii 12. id est 553. quæ extat Tom. vi. postremæ Collect. Concil. pag. 239. rescissis actis omnibus, quibus v. Synodum exauctoraverat, & *Constituto* abrogato, trium Capitulorum damnationem confirmasse; ut demonstrat cap. viii. illustris Norisius: cui duo addimus, Liberati scilicet Breviarium cap. 23. ubi recitantur hæc Vigili verba: *Anathematizamus Paulum Samosatenum, Dioscorum, Theodorum, Theodoretum, & omnes, qui eorum statuta coluerunt, vel colunt*, eodem Volum. Conc. pag. 456. necnon *Constitutum* Vigili erutum à Baluzio è vetusto Codice Biblioth. Colbertinæ, in quo num 28. legitur: *Prædicta igitur tria impia Capitula anathematizamus atque damnamus, id est, Epistolam, quæ dicitur Ibas ad Marim Persam, in qua nefandæ superius designatæ blasphemie continentur, & impium Theo-*



Theodorum Mopſueſtenum cum nefandis ejus conſcriptis, & quæ impie Theodoretus conſcripſit &c. Vide cit. Volum. pag. 310. Datum eſt autem hoc Vigilii Conſtitutum VII. Kalendarum Martiarum anno 13. poſt Conſulatum Baſilii, id eſt, anno 554. & germanum, & genuinum eſſe, neque à ſtylo Vigilii diſſentire conſentiunt Eruditi cum Pagio ad hunc annum num. 4. Quare nullus jam ambigit, quin Vigilii approbaverit Quintam Synodum, ac proſcripſerit tria Capitula. Extat eodem Volumine pag. 259. liber Pelagii 11. ſive Epistoſta ad Eliam Aquilejenſem, & ad Iſtriae Episcopos, qui conſentire renuebant trium Capitulorum damnationi: in qua Pelagii Epistoſta non ſolum tria Capitula anathematizantur, verum etiam v. Synodi collationes in Epitomen rediguntur, atque ex teſtibus, ſcriptisque ipſorum reſutantur Theodorus, Theodoretus, & Ibas. Et ne alia producam, S. Gregorius Magnus pluribus in Epistoſtis Quintam Synodum approbavit, præſertim 36. lib. 2. in qua etiam laudat præcitatum Pelagii librum; & Ep. 24. lib. 1. ubi ait: *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Epistoſta, quæ Ibas dicitur, erroris plena reprobat: & Theodorus perſonam Mediatoris Dei, & hominum in duabus ſubſiſtentiis ſeparans ad impietatis perſidium cecidiſſe convincitur. Scripta quoque Theodoreti, per quæ beati Cyrilli fides reprebenditur, aſu demeritiae prolata reſutantur.* Atque his non tantum oſtenditur juſta trium Capitulorum damnatio, ſed etiam Quintæ Synodi aſſeritur auctoritas.

6. Alterum argumentum eſt hujusmodi. Confirmatur. De Theodoro Mopſueſtano ſcribit Proclus Conſtantinopolitanus laudatus in libro Pelagii, & in Epistoſta ad Joannem Antiochenum perſuaſiſſe illum Neſtorio, quod filius Dei vivi, qui de Sancta Virgine Maria natus eſt, non eſt qui ex Patre natus eſt Deus Verbum. Cyrillus Alex. in Epistoſta ad Lamponem Presbyterum appellat eundem Theodorum patrem Neſtorii. Habuiſſe conſonantem Neſtorii perſidiis intellectum, ſcribit in Epistoſta ad eundem Cyrillum Rabbula Edeſſenæ Eccleſiæ Antiſtes, ubi aſſerit Theodorum primum omnium aſſirmaſſe, non eſſe vere Dei genitricem ſanc- tam Virginem, tanquam Deo Verbo non ſuſcipiente ſecundum nos nativitate. Heſychius Hieroſolymitanus in Eccleſ. H. ait Theodorum ſenectute jam cana debilitatum libros ſcripſiſſe adverſus Domini apparitionem: quo in libro

tradebatur, hunc non incarnatum Verbum, ſed hominem per vitæ profectionem, & paſſionum perfectionem conjunctum Deo Verbo. Plura aliorum judicia extant Collat. 5. Synodi quintæ. Eundem Theodorum expunctum è ſacris Mopſueſtenæ Eccleſiæ diptychis conſtat ex Synodo Mopſueſtana celebrata anno 550. cui præſedit Joannes Episcopus Anazarbi, ſeu Juſtinopolis. In hac enim Synodo die 17. Junii recognita fuerunt diptycha, nec adinventum in iis Theodori nomen: imo Martyrius presbyterorum provectiſſimus, & qui à 60. annis in Eccleſiæ Mopſueſtenæ Clero militabat, ſacramento teſtatus eſt, nunquam inter Episcopos in diptychis enumeratos nomen ſe Theodori audiviſſe; ideoque jam ab anno 490. Theodorus è ſacris diptychis fuerat expunctus. Idem Theodorus numeratur inter Neſtorianos in legibus Theodoſii & Valentiniani recitatis eadem collat. 5. & denique ipſe ſacundus Herm. in conventu Conſtantinopolitano, apud Lupum diſſert. de v. Synodo cap. 4. ſimpliciter teſtatus eſt, ſe à contradicentium communione ſubtraxiſſe, non propter Theodorum, ſed propter Theodoretum, & Ibas. Imo lib. 2. cap. 2. ſcribit, adjecta tamen particula ut ajunt, Theodorum magiſtrum quidem Neſtorii fuiſſe, majore autem quam ille impietate blaſphemafſe. De Theodoro actum capite præcedenti. Ibas vero non ſolum Clerici Edeſſeni & Monachi, ſed & primates, & clari militiæ non ſemel accuſarunt, quod Theodori ſcripta omni plena impietate tranſtulſet lingua Syrorum, & ubique diſſeminafſet, ut conſtat ex Collat. VI. Concilii v. pag. 133. In Conſtituto autem Vigilii num. 2. pag. 285, apertiſſime demonſtratur ipſum Ibas in Synodo Chalcedonenſi Act. 9. denegafſe ſuam eſſe Epistoſtam ad Marim Perſam, aſſirmando ſe in ſecundi Ephesine Concilii nefariis geſtis injuſtitiam ab Eutychete fuiſſe perpeſſum ob falſa ſigmenta: unde ait Vigilii, quod ſi apud Judices ab Iba editam doceri potuiſſet Epistoſtam, aut ab Adverſariis comprobatum eſſet, quia ejusdem Ibas fuerit, aut ipſe Ibas, quia ejus fuerit, fuiſſet conſeſſus, nunquam eorum ſententia Ibas meruiſſet abſolvi. Ex quibus adverte, quam prudenter quinta Synodus Romanique Pontifices reice- rint Epistoſtam, quam dicitur Ibas ſcripſiſſe, cum non ſit penitus exploratum Ibas ipſius Epistoſtæ fuiſſe auctorem. Ea tamen ejusdem Ibas aut vera, aut falſa excuſatione liquet eſſe impiam, hæreticam, Neſtorianam. Tertiò probatur æqua



æqua trium Capitulorum damnatio ex illorum doctrina. Theodorus enim in Symbolo recitato Collat. 4. v. Synodi pag. 64. docet ideo non dici duos filios, quoniam Christus cum Deo Verbo habet conjunctionem, & communionem bonoris, item nominationem filii & Domini, aperte denegata substantiali unionem. Lib. vi. in Joannem scribit Dei nomen Christo non convenire, nisi quatenus est Templum Dei Verbi assumptum pro salute hominis. In Evangelium Lucæ ait, Christum dici filium dilectum, solum per adoptionem in Baptismate, secundum comparationem Judaicæ adoptionis, nam & ad illos dictum est, Ego dixi dei estis, & filii excelsi omnes. In III. libro contra Apollinarium inquit: Non existimandum est Deum de Virgine natum esse, &c. Plura in citata Collat. v. collecta partim à Monachis Armeniæ, partim vero à Benigno Episcopo Heraclæ Pelagoniæ. In Epistola Iba, ne repetamus quæ supra de Theodoro dicta sunt, de Theodoro Mopsuesteno legitur, *Beatus Theodorus prædicator veritatis, & doctor Ecclesiæ*: de Cyrillo autem, *Cyrillus lubricavit & inventus est cecidisse in dogma Apollinari*: & hæc profertur ratio, quia non ponit differentiam inter templum, & habitantem in eo. Ephesini quoque Patres dicuntur ab eodem Cyrillo veneno obæcante seducti. Epistola itaque ad Marim Persam ab Iba, ut fertur, conscripta scaturit hæresi Nestoriana, atque in Cyrillum, & sanctam Ephesinam Synodum atrocissimis injuriis. Ex doctrina itaque trium Capitulorum, ex testibus fide dignissimis, & ex Quintæ Synodi auctoritate satis compertum atque exploratum est, tria Capitula servato æquitatis jure fuisse damnata.

## OBJECTIONUM ENODATIO.

7. **Objeccio I.** Prima objeccio in trium Capitulorum defensionem potest hac ratione compingi. Damnatio trium Capitulorum facta est abrupte, inconsiderate, imprudenter, nec illam cohonestare potest Synodi v. sententia. Principio enim, ut diximus, tria Capitula damnavit Justinianus impellente Theodoro Capadoce homine Orogenista, & dissidiorum, quæ Græcam Latinamque Ecclesiam vexarunt, auctore. At damnatio à sæculari Principe, & illegitimo Ecclesiasticorum dogmatum judice prolata haberi nequit rata & firmissima, dolo maxime hominum improborum extorta. Quinta autem Synodus eodem Imperatore jubente coacta est, Vigilio

Romanæ Ecclesiæ Pastore refragante, & invito: qui & adversum ipsam Synodum edidit Constitutum quolibet ejus acta exauctorando. Si posterioris ævi Pontifices, ut Pelagius II. ac Magnus Gregorius quintam Synodum approbaverunt, nec viderunt Constitutum Vigili, nec deprehenderunt adversariorum fraudem, qui Vigili Synodicam Epistolam, qua tria Capitula proscribuntur, licet supposititiam ac spuriam, temere actis Synodi inseruerunt. Atque ita Vigili successores errore facti comprobantur trium Capitulorum damnationem supposita decretali Vigili: qua in re nullatenus Romani Pontificis derogatur auctoritati, quoniam gravissima de tribus Capitulis controversia non spectat dogma Nestorianum, jam profligatum atque proscriptum, sed facti quæstionem de Theodoret, Iba, & Theodori personis aut damnandis, aut absolvendis: atque in quæstionibus istiusmodi potest Romanus quoque Pontifex induci in errorem.

Vigilium quidem non approbasse quintam Synodum, & spuriam esse præcitam Epistolam validis argumentis demonstrat eruditus Garnerius in Auct. Theod. disert. 4. pag. 535. Sunt autem quæ sequuntur. Primum in hac Epistola testatur Vigilius se diaboli dolo impulsus multa loquendo & scribendo disseruisse, ac subtraxisse se à fratrum communione: quæ Vigili integritatem, animique constantiam plurimum dedecent. Ad hæc ait tunc factam pacem Ecclesiarum; quod liquet esse falsissimum. Deinde cum Vigilius paulo ante ediderit adversus v. Synodum Constitutum, hoc rescindendo levissimi animi, nimisæque in mutanda sententia facilitatis præbuisse indicia. Præterea ait secutum à se exemplum Augustini, qui propria scripta retractavit: cum non sit instituenda inter Ecclesiæ Caput, privatumque doctorem comparatio. Accedit, quod Justinianus Sacra data Chalcedone pridie Idus Julias anno 553. jussit Vigili nomen è sacris deleri diptychis, eundemque Vigilium quinquennio detinuit exilio, ad annum scilicet 558. ut scribunt Halloixius, Sirmondus, Lupus apud Norisium cap. 8. Inficiatur quidem ipse Norisius Vigili exilium: at Pagius ad annum 553. num. 23. demonstrat oppositum, cum ex Liberato, qui in fine Breviarii ait depositos, & in exilium missos quintæ Synodo, non consentientes, capite autem 22. scribit Vigilium ab hæresi fuisse afflictum: tum ex præcitata Justiniani Sacra, qua Patribus Concilii præcepit, ut à diptychis Vigilium dispungerent. Atque

8.  
Responsio  
Garnerii.

ex



ex his liquet nunquam Vigilium quintam Synodum approbaſſe.

9.  
Reſponſio  
Auctoris.

Reſp. minime nos propugnare juſtam trium Capitulorum proſcriptionem ob Juſtiniani Imperatoris edicta, quæ tamen excuſat ex parte optima reducendi ad communionem Acephalos intentio, damnat tamen uſurpata convocandi Synodum invito Pontifice juridiſſio, & inhumana erga Vigilium, ſæva, & violenta tyrannis: ſed illam proſcriptionem defendimus ob Synodi quintæ auctoritatem, firmiſſimumque Apoſtolicæ Sedis judici-um. Laudatæ Synodi celebrationem factam Vigilio refragante legitimam non fuiſſe ſatemur: poſt Romanorum Pontificum approbationem, non eſſe recipiendam negamus. Falsum eſt cauſam trium Capitulorum inconfiderate ac tumultuarie peractam. Perleſta enim fuerunt innumera Scriptorum Theodori fragmenta, producta teſtimonia, reviſa præcedentium Conciliorum acta, & habita rerum omnium accurata inquiſitio. Garnerius ipſe diſſert. 3. de fide Theodoret. p. 465. acerrime illos redarguit qui aſſerunt canones, ſive trium Capitulorum anathematiſmos aut adulatorie ex Juſtiniani ſcripto deſumptos, aut temere conditos cauſa non attente diſcuſſa. Ac ſufficit, ut id perſpiciatur, oculis in Codice memoratæ Synodi conjicere. Cur Virgilius *Conſtitutum* pro tribus Capitulis emiſerit, & in varias ſententias viſus fuerit diſtractus, docet in Epiſt. ad Episcopos Iſtriæ Pelagius II. pag. 265. quoniam ſcilicet, *Latini homines, & gratiæ ignari errorem tæde cognoverunt*: unde Pelagius inferit tanto eis celerius eſſe credendum, quanto eorum conſtantia, quousque verum cognosceretur, à certamine non quievit. Loquitur autem de Vigilio, eique adherentibus Episcopis, quorum exemplum ad perviciaciam propriam excuſandam Antiftites Iſtriæ aſſerebant. Nihil præterea in Vigilio invenitur, quod honeſtum non ſit, opportunum, ac prudentiſſimum. Dum *Judicatum* edidit, proſcripſit cum tribus Capitulis Neſtoriana dogmata ſalvo jure Synodi Chalcedonenſis. Quid magis directum & conſonum æquitati? Si emiſit *Conſtitutum*, per id temporis pactis conditionibus non ſervatis celebrabatur Synodus, fovebantur inter Græcos, Latinosque diſſidia; cumque ſæpenumero ad Eccleſiarum pacem conducatur, ſi proſcriptis hæreſibus humaniter agatur cum auctoribus, præſertim vita functis in fidelium communionem, agre ferentibus permultis damnari Theodorum, qui obierat in pa-

R. P. Berti Theol. Tom. V.

ce Eccleſiarum, & Theodoretum & Iban à Synodo Chalcedonenſi abſolutos, ſperabat Virgilius eo *Conſtituto* tumultus compeſcere, præſcribens ut jam damnato Neſtorianiſmo nihil innovaretur. Poſtquam verò Vigilii *Conſtitutum* hæc non produxit, & Theodoretum ac Theodori nomen indies audaciores reddebat Origeniſtas, Neſtorianos, atque Schiſmaticos, neceſſum fuit tria Capitula proſcribere, quod fecit laudata Epiſtola Synodica; & etiam Synodum approbare, quod præſtitit altero *Conſtituto*, proximo anno 554. Nec unquam in dogmate Virgilius à ſe ipſo diſſenſit; nam tria Capitula jam damnaverant in *Judicato* anno 548. *Conſtitutum* vero, quo exauctorabat acta v. Synodi editum œconomiæ cauſa, & pacis conſilio, nec facta damnatione Synodali trium Capitulorum, provide prudenterque reſcidiſſet. Ipſum autem *Conſtitutum* neque in Synodo lectum & diſcuſſum fuit, neque tria Capitula judici- peremptorio ac definito damnabat, ut demonſtrat vir doctiſſimus Joſeph Auguſtinus Orſi lib. 1. de Rom. Pontif. Auct. cap. xx. art. 2. & 3. in eo quippe de perſonis tantummodo actitatum eſt, neque aliquid ſub anathematis pœna propoſitum. Quod vero ſcribit Halloixius, hoc *Conſtitutum* ignotum fuiſſe Pelagio II. falſum evincitur ex hujus reſponſione ad Episcopos Iſtriæ ſuperius citata, & pluribus reſutatur à Noriſio de v. Synodo cap. ix. §. 4.

Approbatam v. Synodum à Vigilio non ſolum conſtat ex Synodica ejus epiſtola eruta anno 1276. è vetuſto Codice Vaticano à Leone Ginommo, ſed etiam ex *Conſtituto* edito à Baluzio, de quo ſupra, ex Epiſtola Pelagii II. & ex antiquorum omnium conſenſu; unde concedi poſſet ſpuriam eſſe præcitatam Epiſtolam, neque hinc aliquid adverſum v. Synodum concluderetur. At quoniam nihil probant Garnerii conjecturæ, brevi illas reſellam. Principio falſum eſt ſcripſiſſe Vigilium ſe à diabolo fuiſſe impulſum; cum aſſerat tantum ſuadente humani generis inimico plures propoſitum ſuum implere ſtudiſſe, etiam nomine ipſius Vigilii: unde coactus fuerat multa loquendo, & ſcribendo diſſerere. Vide cit. Tom. vi. Conc. pag. 239. Deinde aſſerendo pacem tunc eſſe factam, nihil falſi narravit; non quod reſiſſent ad communionem cum Orientalibus Episcopi Illyrici, & Africa, ut ſentit Natalis Alexander in Synopſi H. Eccl. Sæc. vi. art. 9. conſtat enim diu ſchiſmata viguiſſe, ſed quia in v. Synodo *communi, & generali anathema*

16.

Vigilius 5.  
Synodum  
approbavit.

includit  
non  
est  
id

T

te



te rejeſti ſunt Origenes, & Theodorus Mopſueſtias Episcopus, ut inquit Cyrillus Scythopolitanus in Vita S. Sabæ, citatus Act. 1. ſeptimæ Synodi: quo in loco Cyrillus etiam aſſerit quatuor Patriarchas concordî animo damnationem hanc approbaſſe. Ad tertium dicimus *Conſtitutum* Vigiliî, ſi ſpeſtentur rerum circumſtantîæ, non eſſe levis animi argumentum, ſed prudentiſſimam vigilantiffimî Paſtoris curantis pacem Eccleſiarum œconomiam, ac ſimul Sedis Apoſtolicæ adverſus illos, qui abſque illius auctoritate œcumenicam Synodum congregant, æquiſſimam proteſtationem, ut dictum ſupra. Quod ſequitur nimium eſt futile; quoniam retractare *Conſtitutum*, in quo diximus latam non eſſe peremptoriam ſententiam, & in hoc imitari beatiſſimum Auguſtinum, non infringit Apoſtolicæ Cathedræ firmitatem, ſed com-monſtrat Vigiliî humilitatem, ſapientiam, ac ſedulam veritatis perquiſitionem: quamquam facta mentione Auguſtinenſium retractationum, hæc de ſe Vigilius proloquitur gravi ac Pontifice digna oratione: *Nos quoque ſimiliter illis exemplis incitati, in controverſia trium Capitulorum ſupra memoratorum nunquam deſtitimus, quin inveſtigaremus quid de prædictis capitulis in Patrum noſtrorum literis verius inveniri poſſet; quibus verbis conſtat exemplum Auguſtini ad ſignificandam potius aſſiduam rerum inſpectionem, quam priſtinæ revocationem ſententiæ, fuiſſe à Vigilio productum.*

11.  
De Sacra Ju-  
ſtiniani  
non conve-  
niunt exu-  
diti.

De Sacra Juſtiniani data pridie Idus Julias Chalcedone, ac de nomine Vigiliî deleto è ſacris diptychis, ejusque exilio, non conveniunt eruditi. Baluzius qui Juſtiniani literas ſeptimæ Collationi inſeruit, eas enim adinvenit una cum Præfatione Constantini Quæſtoris habita in eadem Collatione, in qua Imperatoris juſſu literæ Patribus exhibitæ, & lectæ fuerunt, necnôn Pagius ad an. 553, genuinas agnoſcunt; & idcirco idem Pagius recedit à ſententia Noriſii negantis Vigilium deportatum fuiſſe in exilium. At argumenta plura evincunt *Sacram* illam Juſtinianeam eſſe adulterinam ac ſpuriam, atque illud in primis, quod legi non potuit Conſtantinopoli VII. Kal. Junias Episto-la data pridie Idus Julias ejusdem anni Chalcedone, nec ejusdem Episto-læ mentio fiat in Collatione VIII. ubi ſingula præcedentia Acta commemorantur, neque in ulla Conciliorum editione ante Baluzium, neque in aliquo veruſto Codice; quod in ea denique falſum narretur, Vigilium ſcilicet trium

Capitulorum defenſores à ſua communione repellere, quod nec Juſtinianus Synodo ſignificaverat, cum id obſtaret potius, quam conferret eorundem Capitulorum tanta anxietate animi quæſitæ condemnationi: de qua re legi poterit Defenſio diſſert. Noriſianæ cap. 6. & P. Orſi cit. Capit. xx. art. 3. Atque ita perſiſtit ſententia Noriſii improbantis exilium Vigiliî, nam Liberatus in fine Breviarii, ubi de exilio loquitur, Vigiliî non meminit, aſſictumque à Juſtiniano ante abſolutam quintam Synodum nullus negat. Verum quidquid ſit de Juſtiniani Sacra, & de exilio Vigiliî, omni procul dubio Juſtinianus anno 554. erat animo erga Vigilium amico, ut probat ex ſanctione ejusdem Imperatoris recitata poſt Novellas eximius Noris: ideoque Vigilius anno 554. Synodum confirma-verat: quod ad præſens ſufficit inſtitutum.

Dices: At damnationi trium Capitulorum, tamenſi in quinta Synodo peracta ſit, poſſumus refragari. Primo quia hæc quæſtio non circa dogma verſatur, ſed circa factum; in quo etiam Generalis Synodus, & Summus Pontifex errare poſſet. Scribit enim lib. 2. Ep. 36. Greg. Magnus, in v. Synodo nihil actum de fide, ſed de Capitulis quibusdam extra fidem, ac de perſonis tantum. Deinde idem Gregorius literis ad Conſtantium Episcopum Mediolanenſem, qui reducere conabatur ad communionem Eccleſiæ reginam Theodelindam ſeducam à trium Capitulorum propugnatoribus, inquit *recte factum*, quod Conſtantius ad Reginam non tranſmiſerit Gregorii Epistolam, pro eo quod quinta Synodus in ea nominabatur, cum inde Theodelinda potuiſſet ſcandalizari: unde aliam idem Gregorius Epistolam miſit, in qua ſolummodo quatuor Synodi laudabantur. Cenſuit ergo Gregorius diſſimulandum eſſe, ſi quis nolit Quintam Synodum, ac trium Capitulorum damnationem recipere. Præterea non ſolum Iſtriæ Episcopi, verum etiam Eccleſiæ Hispaniarum, quæ ſervabant cum aliis Eccleſiis communionem, diu Quintam Synodum repudiabant: quod propterea etiamnum videtur tolerandum.

Reſp. Hanc de tribus Capitulis quæſtionem non eſſe de Catholico dogmate, quatenus non pertractat abſolute de fide Incarnationis, aut de hæreſi Neſtoriana, jam proſtigata, & proſcripta; ſed eſſe de facto dogmatico, in quantum verſatur circa libros ſcatentes eadem hæreſi, & circa perſonas ipſius hæreſeos diſſeminatrices. Ac in factis dogmaticis Apoſtolicæ

12.  
Urgeatur ob-  
jectio.

13.  
Reſponde-  
tur.



ſtolicæ Sedis iudicium eſſe inconcuſſum, peremptorium, irreformabile oſtendimus ex hac quoque trium Capitulorum diſcuſſione poſtremo Capite de H. Janſeniana. Poſtquam ergo latam à v. Synodo ſententiam firmavit Vigilius, ei cui-libet fidelium erat accedendum, nec ul-li contraire fas erat. Quoniam tamen, ſi Eccleſiæ omnes impium dogma reſel-lant, non adducitur in magnum diſcri-men fides orthodoxa; ideo Vigilius prin-cipio obſtiterat trium Capitulorum da-mnationi; eaque proſcripſit, ubi comper-tum habuit poſſe ex illorum pervicaci de-ſenſione recifa errorum portenta iterum germinare. Ob eandem cauſam aſebat Magnus Gregorius in v. Synodo non ac-titatum de fide, & *diſpenſative*, atque ad tempus permittit ne reginæ Longobar-dorum Theodelindæ, quam alias con-ſtabat piſſimam eſſe & catholicam, v. Synodus commendaretur. Idem cum Hiſpanis ſervatum eſt, cauſâ œcono-miæ, & prudenti diſpenſatione: nam ſi v. Synodum repellendo tentaffent inſtau-rare damnatas hæreſes, debuiffent ad il-lam recipiendam Eccleſiaſticis cenſuris compelli. Caterum Gregorius teſtatur, ſe Quintum pariter Concilium venerari; atque iſtud tanto certioris eſt auctorita-tis, quanto poſt diuturnam Schismati-corum repugnantiam annitentibus ſum-mis Pontificibus, & omnibus, quæ obji-ciebantur, diſcuſſis, compertum eſt à Vigilio firmatum, & ubique terrarum receptum eſt: quod non diſſitetur Gar-nerius Diſſert. 3. de fide Theodoretipag. 465.

14.  
Objicitur 2.

Secunda argumentatio erit in deſen-ſionem Theodori Mopſueſtini, ac primi Capituli. Et primo proferri poſſunt complurium in laudem Theodori re-ſtimonia, præſertim Joannis Antiocheni in Epift. ad Neſtorium, Facundi Hermia-nenſis in trium Capitulorum deſenſio-ne, & Iſidori Hiſpalenſis de Viris illu-ſtribus.

15.  
Reſponde-  
tur.

At ad hæc reſpondet Summus Ponti-fex Pelagius II. *Plus Synodo primæ Ephæſinæ, plus Cyrilli libris, plus Heſy-chii, quam aliis commodandum.* Addit laudatum à Joanne Antiocheno, dum *ejus error occultus adhuc & dubius fuit*; ſed poſtea omnium pene magnorum Pa-trum ſententiis, velut immanem beſtiam, quaſi crebreſcentibus jaculis, fuiſſe con-foſſum. Profert & exemplum Origenis, quem laudarunt Gregorius Nyſſenus, Hieronymus, & Eusebius, conſtat ta-men nihil Origene in *Hæreſiarchis inventi-re deterius.* Addimus perpauca: ac pri-mum Joannem Antiochenum aliquando

R. P. Berti Theol. Tom. V.

errore facti deceptum adhaſſiſſe Neſto-rianis, & Ephæſinam Synodum oppugnaſ-ſe, quod ſupra vidimus; deinceps Theo-dorum magnam ſibi laudem comparaviſſe Apollinarium inſectando, quamvis in oppoſitum errorem impegerit: tum Fa-cundum Hermianenſem fuiſſe acerrimum trium Capitulorum deſenſorem, ut li-quet ex duodecim libris ab eo conſcrip-tis, completis tamen anno 548. an-tequam tria Capitula damnarentur, ut teſtatur Garnerius: Iſidorum denique & libros Facundi perlegiſſe, & erraſſe quo-que ſcribendo Theodorum purgatum in Concilio Chalcedonenſi, in quo nihil actum de ipſo Theodoro.

Præterea objici poteſt, ſemper Theo-dorum tanquam Catholicum audiſſe, & nunquam è ſacris Mopſueſtenæ Eccle-ſiæ diptychis fuiſſe expunctum. Enim-vero diptycha perlecta in Synodo Mo-pſueſtena anno 550. ſuppoſita ſunt, neque enim extabat in iis nomen Macedonii qui interfuit, & ſubſcripſit Nicænæ Synodo, ſicut nec Meletii, nec Auxentii: unde Garnerius recte aſſeruit vetera Eccleſiæ Mopſueſtenæ diptycha ſuppoſitis novis deperdita, tempore, quo Cnaphæus pul-ſo Calendione invaſit Eccleſiam Antio-chenam. Etiam edictum Theodoſianum contra Theodorum eſt conſcriptum & ſpu-rium; ſiquidem tertia parte Concilii Ephæſini cap. 45. extat idem edictum abſ-que nomine Theodori. Ad hunc ergo damnandum prolata ſunt à malevolis ad-verſariis apocrypha monumenta.

Reſp. Diptycha Eccleſiæ Mopſueſte-næ perlecta anno 550. fuiſſe vetera, & genuina; probata quippe fuere nationa-li Synodo, & ſacramento Martyrii preſ-byterorum provectiſſimi: cujus aliorum-que patrum fidem inique Garnerius vel-licat, dum diviſans, nullaſque fretus ra-tione inquit ſuppoſita nova diptycha Cna-phæi tempore. Macedonius à fide Ni-cæna, quam pobarat, defecit, & ſub-ſcripſit anno 345. Sardicenſi Arianorum Conciliabulo. Auxentius unus extat in diptychis; alter hujus nominis dicendus eſt aut Neſtorianus, aut Arianus. Me-letium pariter Neſtorianum fuiſſe liquet ex Collectione Baluziana Episto-larum Sy-nodicon cap. 92. Horum ergo nomina, quemadmodum Theodori, in diptychis non debebant adſcribi. Cur in lege Au-guſtorum perlecta in Concilio Ephæſino non reperiatur nomen Theodori, me la-tet: fortaliſis tunc neceſſarium non vi-debatur mentionem facere hominis vita functi. Deceſſerat enim Theodorus an-no 427. ut demonſtrat Norſius lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 4. affirmatque etiam Garne-

16.  
Objicitur 3.

17.  
Reſponde-

T 2

rius



rius in Auctario Theodoret differt. 1v. §. 5. sive anno 429. ut contendit Pagius ad annum 427. num. xii. In lege autem Augustorum altera, quæ extat etiam in Actis Concilii Chalcedonenfis, expresse Theodorus commemoratur.

18. Profertur ad hæc præcipua pro Theodoro defensio. Iniquum videtur præclarum Antistitem, qui in Ecclesiarum communione fatis cecidit, anathemati subicere. In mortuos enim sævire nimia videtur impietas, præsertim cum adversus Theodorum nec Proclus, nec Cyrillus anathema intorserint. Pervulgatæ huic argumentationi robur adjicimus; nam Patres v. Synodi ad damnandum Theodorum vita functum inducti sunt momenti frivolis & levissimis. Præcipua, quæso, expendamus. Protulit Eutychius Josæ factum, qui ossa eorum, qui vitulis immolaverant, post mortem effodit atque combussit, 4. Reg. xxi. 16. At Josæ exemplum non est ad rem; nam qui vitulis immolant, non decesserant in pace Ecclesiæ, ut observat Lupus differt. de v. Synodo Cap. 2. Et tamen Evagrius lib. 4. cap. 38. pag. edit. Valesianæ 413. scribit, *Hoc ab Eutychio aptissime dictum esse cuncti qui aderant censuerunt.* Sextilianus produxit canonem 81. Ecclesiæ Africanæ, quo dicitur anathematizandum Episcopum post mortem, *si hæreses extraneos à consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos, aut paganos Ecclesiæ prætulit:* quod, tametsi Natalis Alex. censet validissimum argumentum, nullius est roboris: nam Episcopus condens vetitum testamentum juxta Cyprianum. Ep. 66. ad Furnitanos, & juxta Canonicas Afrorum sanctiones decedebat prævaricator, ac statutum Concilio erat, ut si quis hoc fecisset, *non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur,* inquit Cyprianus pag. 246. In cassum itaque tam exemplum Josæ, quam canon Africanus adversus Mopsuestenum fuerunt producta. Affirmavit Benignus Heraclensis *ex Ecclesiastica Traditione posse aliquem propter impia conscripta anathematizari post mortem*, cum traditio evincat oppositum. Nam Dionysius Alexandrinus, auctore Eusebio lib. vii. H. Eccl. cap. 24. non ausus est damnare Nepotem Episcopum, qui tradiderat prava dogmata, sed ex hac vita in Ecclesiæ pace migraverat. Epiphonio volenti damnare Origenem respondit Theotimus apud Socratem lib. 6. cap. 11. nequaquam fas esse in mortuum desævire. Ipse Vigilius in *Constituto*

auctoritate Gelasii, & Leonis asserentium Ecclesiæ solummodo potestatem esse ligandi, aut solvendi viventes, quoniam Petro dictum est, *Quodcumque ligaveris super terram, &c.* aiebat Theodorum non esse anathematizandum, ut revera non anathematizaverant Patres Chalcedonenses, & Ephesini. Joannes etiam IX. adversus Stephanum VII. qui damnarat Formosum in pace Ecclesiæ defunctum inquit: *Quod nunquam decessorum nostrorum temporibus factum fuisse traditum est, penitus abdicamus.* Alia plurima profert Lupus cit. loco: at hæc sufficienter commonstrant Patres Quintæ Synodi in Theodoro damnando vetustam Ecclesiæ disciplinam, ac traditionem violasse.

19. Resp. Benignum Heraclensem negavisse in v. Synodo, quod Theodorus in pace Ecclesiarum obierit: *Ille enim, inquit, in communione, & pace Ecclesiarum defunctus est, qui usque ad mortem recta Ecclesiæ dogmata & servavit, & prædicavit: quod vero Theodorus non servavit & prædicavit recta Ecclesiæ dogmata, certum est ex ejus blasphemis.* Imo damnatum jam Theodorum innuerunt in Quinta Synodo Patres omnes, dum perlectis impio ejus Symbolo, excerptisque quamplurimis, exclamarunt: *Hæc jam condemnavimus, hæc jam anathematizavimus, &c.* Porro, etsi non expresse, Theodorus cum Nestorio damnatus fuerat, cum eadem sit utriusque doctrina, & si Theodori nomini aliquandiu Patres perpercerunt, non poterant non illud execrari, cum illius immodica celebritate, & injusta commendatione hæresis Nestoriana contritum caput ausu temerario erigeret. Quare damnatio Theodori non fuit in demortuum impietas, sed dissimulata, nec ulterius ferenda nequitia necessaria improbis adoratoribus exprobatio. Atque hac responsione diluuntur omnia argumenta, quæ videntur probare neminem in Ecclesiæ communione defunctum posse anathematizari post obitum.

20. Falsum præterea est, non posse impium à communione fidelium, posteaquam factis cessit, repelli. Siquis enim post mortem absolvi potest & declarari orthodoxus, cur non subijci tanquam hæreticus anathemati? Recte Benignus adversus Theodorum universæ Ecclesiæ protulit traditionem. Quæ enim Synodus Valentinum, Marcionem, Basilidem, aliosque primi & secundi sæculi hæreticos, nisi postquam decesserant, condemnavit? Inveni-



Invenimus anathematizatum poſt mortem Dioſcorum in Schiſmate contra Bonifacium II. electum, atque Theodorum ipſum damnatum à Rabula Edeſſeno, & expunctum ex diptychis Eccleſiæ ſuæ. Pelagius II. in Epistoſa ſuperius citata etiam à Synodo Ephēſina Theodorum anathematizatum affirmat: *Nam, inquit, cum ab ejus diſcipulis dictatum ab eo Symbolum fuiſſet prolatum, illico à ſanctis Patribus cum auctore damnatum eſt.* En Theodorus, auctore Pelagio, à Synodo Ephēſina recepta à trium Capitulorum deſenſoribus, anathematizatus poſt mortem. Addit Pelagius dignam Romano Pontifice ſententiam: *Si Jeſum Dominum ac Deum noſtrum poſt mortem Theodorus damnavit; cur Theodorus, qui tot blaſphemiis Redemptori noſtro hoſtis extitit, non debet anathematizari poſt mortem?* Accedunt enucleata teſtimonia Auguſtini in eadem quinta Synodo lecta, & probata, ex Collat. 3. Carthag. cap. 87. de Unit. Eccleſiæ cap. 2. & ex libro 111. contra Creſconium cap. 35. & 39. In hoc adverſus Creſconium Opere, prior loco ait S. Pater: *In hac communione ſi fuerunt, quos neſcio traditores, cum eos demonſtraveris, & carne, & corde eos deſeſlabor: nequaquam tamen à vivis in ejusdem Eccleſiæ ſancta unitate manentibus propter mortuos alienabor: & poſtremo loco, Judicium non tantum de vivis, ſed etiam de mortuis haberi poteſt: licet enim ſit mortuus qui peccavit, nunquam illud morietur quod admittit.* Nec minus perſpicua ſunt alia Auguſtini loca, quibus perſectis nihil aliud Patres ad damnandum Theodorum expetiverunt; tanti valere ſingulis viſa eſt Doctōris præſtantiffimi auctoritas: ut adnotatum quoque in Florentina Synodo ſeſſ. VII. Atque ex his liquet poſſe impium etiam poſt mortem ab Eccleſiæ communione repelli.

tas in Ebionæis, atque Samofatenſibus. Cyrillus & Vigilius humanius cum Theodoro ſeſe gerebant, quando ignorabant hæreticos jaſtato Mopſueſteni nomine fieri pervicaciores: ſemper tamen Theodorum *implicite* anathematizabant, dum damnabant Neſtorianismum; ac perſpecta hæreticorum machinatione, etiam mortuum anathemate percuſſerunt; Cyrillus quidem in lib. *De eo, quod unus eſt Chriſtus.* Vigilius autem in ultimo *Conſtituto.* Origenem damnatum poſt mortem ante Edictum Juſtiniani, etiam ab Epiphania in Epistoſa ad Joannem Jerololym. & ab omni tam Orientis, quam Occidentis Eccleſiæ hæreticum denuntiatum, ut inquit 2. Apolog. contra Rufinum S. Hieronymus, invicte probat in diſſert. de v. Syn. cap. 2. Noriſius, quare Theotimus nimia uſus eſt in Origenem comitate. Dum Sanctus Leo, Gelafius, alique ſcribunt Eccleſiam neminem abſolvere aut damnare poſt mortem, tantum aſſerunt deſunctos præmium, aut pœnam conſecutos neque ſolvi à peccatis, neque ligari; ſed quemadmodum ii, qui dum viverent doctrinæ ac probitatis ſpecimen præbuerunt, poſt obitum ab Eccleſiæ ſacrificiis juvantur, & commendantur laudum præconio: ita æquum eſt illos, qui nefariis conſcriptis fidem perſumdederunt, privari poſt mortem ſanctorum communione, proſcindi maledictis, & cum heterodoxis repelli. Cum mortuis neque illud judicium exerceri poteſt, quod partium conflictatione, atque interrogationibus & reſponſis peragitur: neque præcipitanter ac temere, ut in Formoſum fecit Stephanus, pronuntiandum: quamobrem Stephanus à Floardo dicitur

*Durus qui noſtris, propriis ac durior inflat:*  
*Sæva quidem legat vivis, truciora ſepultis;*  
*Folconemque minis, Formoſum concutit actis.*

Sed Formoſi hiſtoriam complecti hac diſſertatione non vacat. Legi poteſt Baronius, & Pagius ad annum 897. Nat. Alex. in H. E. Sæc. IX. art. 13. & 14. Auxilius apud Morinum P. 2. de Sacris Ordinat. Papebrochius in Propylæo, Sandinus, &c.

Argumentum tertium eſt in deſenſionem II. Capituli, ſcilicet Scriptorum contra Cyrillum Theodoret. Nam ſi hunc abſolverat, ſuæque Sedi reſtituerat ſancta Synodus Chalcedonenſis, quomodo

T 3

non

21.  
Non obſtant  
Argumenta  
oppoſita.

Neque oppoſitum evincunt argumenta contraria. Exemplum enim Joſiæ prolatum ab Eutychio, nec in Actibus Synodalibus inſertum eſt, erratque Evagrius ſcribens viſum iis qui aderant aptiſimum; quamvis & id concedi poteſt, ſi cum Benigno Heraclenſi dicamus Theodorum in pace Eccleſiarum non obiſſe. Canon pariter Africanus à Sextiliano productus nulla legitur exceptus Synodi approbatione. Nepotis Arſenoitis Epiſcopi exemplum non eſt ad rem, is enim propugnauerat errorem Millenariorum nondum ætate ſua ab Eccleſiâ proſcriptum; at Theodorus tradiderat uſque ad ſeneſtam nefarias blaſphemias damna-

22.  
Obſicitur 5.



non violato hujus œcumenicæ Synodi jure poterat subire juxta evibratum anathema?

23.  
Respondetur.

Verum nil concludit isthæc objectio. In v. enim Synodo nil contra Theodoretum personam aditatum, sed contra impia ejus scripta adversus anathematismos Cyrilli: quæ scripta ipsemet Theodoretus *implicite* condemnavit, dum in Synodo Chalcedonensi præalta voce dixit anathema Nestorio, & cuicumque neganti beatissimam Virginem esse Deiparam. Patres quippe Chalcedonenses illum non aliter suscepissent, nisi prius anathematizasset Nestorium, & ejus blasphemias, pro quibus antea scripsit defendens eas, inquit Patres v. Synodi collat. 5. pag. 130. Hinc Pelagius II. citata epistola pag. 276. objectionem ita retundit: *Neque enim Theodoretum omnia scripta damnamus, sed sola, quæ contra duodecim Cyrilli Capitula, sola, quæ contra rectam fidem aliquando scripsisse monstratur; quæ tamen & ipse damnasse cognoscitur; qui in sancta Chalcedonensi Synodo vera confessus invenitur.*

24.  
Obijciunt. Si opponas: Jam ergo Theodoretus 6. impia dogmata proscripserat, jam à plenaria Synodo fuerat absolutus. Quid opus erat hunc iterum movere lapidem, ac tantas ciere procellas?

Et Respondetur.

Verbis Vigili in Constituto num. XXVII, pag. 310. respondebo: *Eo quod Nestoriani sub ejus Episcopi nomine, qui à beata recordationis Leone Papa, & à sancta Chalcedonensi Synodo legitur fuisse susceptus, eadem scripta ad adstruendum sui erroris videntur addibere suffragium, non aspicientes quod non solum sancti Patres in Chalcedone congregati damnato Nestorio cum suis dogmatibus, & ista damnaverint, sed etiam ipse Episcopus Theodoretus omnia dicta, quæ beati Cyrilli in Ephesina prima expositis videbantur contraire dogmatibus, in Chalcedonensi Synodo aperta professione respuerit. At de Theodoro plura cap. præcedenti.*

25.  
Obijciunt 7.

Postrema in patrociniū 111. Capituli, sive Epistolæ, quæ dicitur Ibæ, argumentatio erit istiusmodi. Ibas in Chalcedonensi Synodo, quamquam Act. x. lecta fuerit ejus ad Marim Persam Epistola, declaratus est Orthodoxus, atque sedi suæ restitutus. Non poterat ergo salvo jure Concilii Chalcedonensis ejus Epistola à Synodo v. proscribi.

26.  
Respondet Natalis Alexander.

Respondet Natalis Alexander 1. in Synodo Chalcedonensi Ibam declaratum orthodoxum, non propter Epistolæ dogma, sed propter contestationem ab eo factam, & comprobata ex actis Sy-

nodi Beritensis quod consensisset paciūter Cyrillum, & Orientales initæ, & anathematizasset Nestorium. II. Omnia acta judicialia peracta post actionem sextam, & post fidei definitionem conscriptam, nullius penitus firmatis fuisse, quia Legati Apostolicæ Sedis ad hoc tantum fuerunt directi, ut excisis hæresibus catholicæ essent fidei defensores. Itanimum scribit S. Leo in Epist. ad Joannem Antioch. & similia ad Episcopos Istræ Pelagius II. Respondet 3. non fuisse de Epistola Ibæ idem Patrum singulorum judicium, nam licet Maximus Antiochenus dixerit etiam Epistolam Ibæ esse catholicam, alii tamen non Epistolam, sed solum Ibam ob anathematizatum Nestorium Orthodoxum declararunt, alii restituendum dixerunt, quoniam etiam ii suscipiendi sunt, qui ab hæreticis revertuntur. Hæc autem omnia verissima sunt, & constant ex Actis Chalcedonensibus: sed plura falsa supponunt, scilicet Patres Chalcedonenses judicasse Epistolam esse Ibæ, de hac minime pronuntiasse illam hæreticam declarando, ut humaniter exciperent ipsum Ibam suscipientem Synodum Ephesinam, & anathematizantem errores Nestorii, saltim Maximum Epistolam illam judicasse orthodoxam. Omnes, quotquot legi, in eadem opinione versantur, etiam noster Lupus in Appendice ad Synod. Chalced. Act. 9.

Mea tamen sententia est, Ibam fuisse in Synodo Chalcedonensi absolutum, quia nunquam ejus Adversarii demonstrare potuerunt ipsum revera fuisse auctorem Epistolæ ad Marim Persam, & aliàs evidens erat tandem anathematizasse Nestorium; illam tamen Epistolam directe contrariam definitioni Synodi Chalcedonensis semper Ibam à se conscriptam negasse, & neminem, nec Maximum Antiochenum, illam existimasse Catholicam: atque defensores trium Capitulorum, sicut ex absolutione Theodoretum subdole etiam ejus scripta contra Cyrillum contendebant fuisse approbata, ita ex restitutione Ibæ callide suscepisse patrociniū etiam Epistolæ ad Marim, eidem Ibæ attributæ: ipsum denique Ibam hanc Epistolam in Synodo Chalcedonensi saltim implicite proscripsisse, quemadmodum, ut supra diximus, Theodoretus quoque damnasse cognoscitur quæ scripserat contra duodecim Cyrilli Capitula. Hæc si demonstravero, nihil in hac controversia remanebit arduum ac perdifficile.

27.  
Responsio Auctoris.

Hæc



probatur.

Hæc autem evidenter probo collatione Actuum Synodicon, & *Constituti* Vigiliani. I. Act. ix. Chalced. Ibas libellum obtulit significans se ab *Eutyebete injustitiam & falsa fragmenta perpeffum*, Ephesi sub Dioscoro *falsam accusationem* pertulisse, inventum *innocentem ab illatis sibi calumniis*, constare ex Actis à Photio, & Eustathio subscriptis se plane fuisse purgatum, suamque Orthodoxam fidem constare testimoniis omnium Edesenorum Clericorum. Cum ergo hæc omnia perpeffus fuerit ob Epistolam ad Marim Persam, *Evidentissime declaratur*, inquit Vigilii in *Constituto* num. 11. à *sepedicto Iba Episcopo memoratam ad Marim Persam Epistolam*, quia *sua fuerat*, *denegatur*. II. Cum producta essent Acta Ecclesie Edesenæ, & Photius & Eustathius vera ac genuina esse testati fuissent, ex his apparuit Ibas se purgasse *exhibita professione rectæ fidei*, & ad satisfactionem eorum, quæ objiciebantur, hanc ab eo exactam promissamque satisfactionem, ut in Ecclesie Edesenæ aliquo manifeste anathematizaret Nestorium, ac profiteretur se credere omnia, quæ placuerant Ephesinis Patribus, & quæ continentur in literis Conventionis inter Joannem Antiochenum, & Cyrillum Alexandrinum. At quid necessum erat, inquit Vigilii num. v. de *Orthodoxæ fidei sinceritate quid sapiebat scripto deponere*, nisi vitasset *perfidia maculam* in ipsa Epistola, quæ *objecta fuerat*, clarescentem? III. In *Judicato* Photii, & Eustathii extabat Ibas fuisse *falsis accusationibus impetitum*, ac propterea Ibas hoc *Judicatum* produxerat; atque ideo tale de Iba prolatum fuerat *judicium*, quia accusatores interesse noluerunt, & Ibas aperta confessione anathematizavit Nestorium. Eatenus ergo Photius & Eustathius declararunt Ibas Catholicum, quia comprobatum non fuit esse illum revera auctorem Epistolæ ad Marim Persam, & ex alia parte anathematizando Nestorium, & approbando decreta Ephesina rectam fidem profitebatur. Vide *Constitutum* Vigilii num. vii. Præterea Patres Chalcedonenses hac Ibas justificatione non contenti, Act. x. relegi mandarunt accusationes adversus Ibas, & audiri Maran, & Theophilum; cumque accusatores affererent Ibas non semel appellasse hæreticum S. Cyrillum, respondit hæreticum appellasse tantum ante Synodum Ephesinam, cum audiebat tanquam Apollinarista, neque absolute, sed nisi recepisset Synodum Orientalem. Quomodo ergo poterat Ibas suam fateri Epistolam, in qua

post Ecclesiarum unionem scriptor, quisquis fuerit, Cyrillo obloquitur, Synodumque Ephesinam vilipendit? V. Cum Maras eadem Act. x. objecisset Ibas oblocutum Cyrillo, decretisque Ephesinis etiam post initam pacem Ecclesiarum, atque ad hoc comprobandum produxisset Epistolam ad Marim Persam, & hæc in sacro Confessu perlecta esset; quid tum Ibas? Epistolamne suam agnovit? Ita Patres allocutus est: *Jubeat vestra Clementia relegi & literas Clericorum Edesenorum, ut cognoscatis quia & ab his, quæ mihi illata sunt alienus existo, & violentiam sum perpeffus*. Ostendit ergo, inquit Vigilii num. xii. se per omnia alienum & ab aliis, quæ *præcedenti loco ei objecta sunt*, & ab *Epistola ad Marim Persam scripta, quæ statim relecta fuerat*. VI. Cur Ibas relegi curavit Epistolam universi Cleri Edeseni contestantis illum esse Orthodoxum, Synodum Ephesinam probare, revereri Cyrillum, & nunquam ex ejus ore se audivisse blasphemiam illam, *Non invideo Christo facto Deo, quoniam & ego, si volo, possum fieri secundum illum*; quæ etiam blasphemia Ibas objiciebatur: cur inquam, hæc relegenda curavit, nisi ut repelleret Epistolæ sibi attributæ perfidiam? Cum ergo his relectis Patres Chalcedonenses Ibas receperint, luce meridiana perspicuum est, Ibas restitutum, quia Epistolam ad Marim à se conscriptam negabat, quia id non potuerunt aperte accusatores demonstrare, & quia aliunde ex universi Cleri Edeseni contestatione ejus aut orthodoxia, aut saltem resipiscencia clarebat. VII. Non solum hæc nostra sententia ex *Constituto* Vigilii apertissima est, verum etiam magis magisque roboratur ex Collatione 6. Quinti Concilii; ubi postquam Theodorus Cappadox, alique Episcopi affirmassent, *quod Ibas in ea Synodo non solum abnegavit, sed etiam anathematizavit Epistolam ad Marim Persam*; à Synodo universa responsum est, *Scimus & nos hæc ita subsequuta esse*: atque ad majorem cautionem iustum, ut acta Chalcedonensis relegerentur. VIII. Quis, nisi omnino desipiat, suspicari potest, aut Ibas, aut Maximum Antiochenum, aut alium ex Patribus Chalcedonensibus existimasse probandam Epistolam ad Marim Persam, quæ, ut recte v. Synodus definivit, *contraria per omnia est definitioni, quam pro recta fide sancta Chalcedonensis Synodus pronuntiavit*? IX. Ipse Pelagius in Epist. ad Episc. Istriæ, quam recte cum Leone Magno ait licenter posse reprehendi Epistolam Ibas, etiamfi



etiam illam Episcopi Chalcedonenses approbassent, quia in Act. vi. *Professio fidei consummatur, moxque canonum regula figitur*; inquit tamen, quod si quis affirmat Epistolam ad Marim Persam fuisse à Synodo probatam, *gesta ejusdem Synodi destruere conatur*: addit, quia probata sit, aut difficulter, aut nullatenus demonstratur: affirmat quod ab eadem Epistola alienum se Ibas respondit; quæ nos hisce argumentationibus demonstravimus. X. Amussim omnia huic assertioni conveniunt. Apparet primum utriusque Synodi Chalcedonensis, & Quintæ consonantia: tum claret singulorum Patrum Chalcedonensium sententia; Legati enim Apostolicæ Sedis judicarunt Ibam innoxium, *relectis chartis*, unde non comprobatur adversantium accusatio, & Clericorum suorum absoluebatur contestatione: Episcopi Casariensis, & Cyzicensis eundem orthodoxum appellarunt ex iudicato Photii, & Eustathii: Sebastenus Antistes illum asseruit recipiendum ob *abnegationem* objectæ Epistolæ, ac Nestorianæ perfidiæ: Juvenalis Jerosolymitanus dignum pervidit, qui impetraret clementiam, nam aliqua de conscripta ab illo Epistola perseverabat suspicio; ubique tandem hanc Epistolam cautione ista novimus reprobam, quæ dicitur Ibas.

28. Infiles: At Patres Chalcedonenses  
Obijciunt 8. ideo Ibam pronuntiarunt orthodoxum, quoniam Catholicam judicarunt Epistolam ad Marim Persam. Hanc itaque Epistolam una cum Iba approbarunt. Probatur antec. Paschasius & Lucretius non tantum dixere, *Relectis chartis agnovimus ex sententia Reverendissimorum Episcoporum Ibam Reverendissimum innoxium approbati*, quæ verba probant iudicium latum à Photio & Eustathio; verum etiam addiderunt, *Relata ejus Epistola agnovimus eum esse orthodoxum*; quibus Ibam etiam ex Epistola ad Marim Persam, quæ post iudicatum Photii, & Eustathii fuerat relecta, Ibam judicarunt innoxium, ideoque & Epistolam approbarunt. Maximus etiam Antiochenus inquit: *Ex his quæ modo relecta sunt, manifestum est, quia ab omnibus ei illatis reverendissimus Ibas innocens est repertus; & ex relecto quoque rescripto Epistolæ, quæ probata est ab eo qui adversarius ejus existit, orthodoxa ejus declarata est dictatio*. Quid aperitius? Maximus declaravit Ibam orthodoxum, & orthodoxam Epistolam ab

eo dictatam, prolatamque ab Ibas adversario Mara, id est, ad Marim Persam conscriptam.

Quamvis revera hi tres Catholicam Epistolam pronuntiasent, nihil evincerent trium Capitulorum patroni, cum acta judicialia Synodi Chalcedonensis potuerint retractari, Magno id Leone asserente. At respondemus neminem præcitam Epistolam per omnia sanctæ Chalcedonensi Synodo contrariam judicasse orthodoxam. Legati Apostolicæ Sedis illis verbis, *Relecta ejus Epistola agnovimus eum esse orthodoxum*, significarunt, inquit Vigilius in Constituto n. 19. Ibam innocentem fuisse repertum relecta Epistola Clericorum Edesseorum, contestantium ab illius Epistola ad Marim Persam crimine alienam Ibas conscientiam. Itaque ejus Epistola non appellatur Epistola ad Marim, sed Cleri Edesseni; enimvero hæc supplicante Iba fuerat relecta post objectam illi ad Marim Epistolam. Neque officit quod dicatur Epistola ejus, inquit Vigilius; primo quia ipsius appellatur, quam pro se relegi petiit: deinde quia communi loquendi modo in iudiciis eorum documenta charta & Epistola dici solent, qui eis pro se utuntur, & quorum ostenduntur prodesse negotiis: rursus quia magis æquum est, ut Ibas dicatur Epistola, quam ille pro suæ orthodoxæ fidei approbatione ut relegeretur exigit; quam conscriptam ad Marim Persam, quam ad Ibam oppugnandum obijciebant adversarii. Hæc Vigilius num. xxi. Corroboratur hæc responsio sententia Maximi, quinon ait declaratam orthodoxam dictationem Ibas in Epistola prolata ab Adversario, sed ex relecto rescripto Epistolæ, scilicet, ex relecto rescripto Edesseorum, quo recitato omnia, inquit Vigilius, non solum adversariis non probantibus, aut Iba Episcopo denegante, verum etiam damnanante fuerunt reprobata. Quare dictatio non significat, ut vulgo accipitur, conscriptionem Epistolæ, sed Ibas apud Judices actionem. Ita apud Jurisconsultos actionem dictare nihil est aliud, quam formulam intendere, sive cum adversariis in iudicio experiri, apud Paulum L. Non distinguemus. ff. illud. D. de recept. arbit. In Græco apud Harduinum Tom. I. pag. 540. extat. ὁπὸδοξος ὁφείναι ἢ ὁπὸδοξος, Orthodoxa declarata est ejus significatio. Hactenus de tribus Capitulis, & de heresi Nestoriana.



C A P U T XVIII.

Eutychnum dogma refellitur.

S U M M A R I U M.

1. & 2. Ortus, & damnatio Eutychnæ hæresis.

3. 4. & 5. Demonstratur dualitas naturarum in-  
permixtarum in unitate personæ.  
6 & ſeqq. Respondetur Eutychnis.

1.  
Ortus Euty-  
chianæ Hæ-  
resis.

**C**ŒVA fere Neſtorianæ, atque è dia-  
metro oppoſita eſt hæſis Eutyche-  
tis, quam erupisse ſcribit Anaſtaſius  
Sinaita decem circiter annis poſt Syno-  
dum Ephesine, nimirum circa annum  
Chriſti 441. Geſaſius tamen in Epiſtola  
ad Epiſcopos Dardaniæ exortam hæſim  
illam affirmat anno 448. rationem habens  
illius temporis, quo Eutyches à S. Fla-  
viano in iudicium vocatus fuit, accuſante  
Euſebio Epiſcopo Dorylæi. Fuit Euty-  
ches ex parentibus Orthodoxis pro-  
genitus, Presbyter Eccleſiæ Conſtantino-  
politane, & ampliſſimi Monaſterii *ἐν-  
κλῆτος*, id eſt, Archimandrita, vel Præſes.  
Is ægre ferens initam pacem inter Cyril-  
lum & Joannem Antiochenum, cœpit  
adverſus Orientales obloqui, eosque tan-  
quam Neſtorianos traducere; arbitrabatur  
enim duas, quas illi propugnabant  
naturas, duas perſonas conſtituere, quæ  
fuerat cum Gentilium, tum ſuperiorum  
hæreticorum halucinationo. Quamobrem  
unam in Chriſto perſonam defendens ait  
naturas duas, humanam, atque divinam  
ita in Incarnatione permixtas, & con-  
fuſas fuiſſe; ut licet antea diverſæ fuerint,  
poſt adunationem tamen in unam tran-  
ſierint. Innovavit propterea etiam hæ-  
reſim Apollinarij, eſſi in eum aliquando  
anathema intorſerit; quoniam docens  
poſt naturarum adunationem humanita-  
tem à divinitate fuiſſe abſorptam, eam,  
quam appellabat Chriſti carnem, putabat  
eſſe divinitatem ipſam, quaſi de cælo de-  
lapſam, nullum propterea corpus Chri-  
ſti agnoſcens, niſi phantaſticum, & con-  
tendens ipſam divinitatem fuiſſe affixam  
cruci, & in ſepulchro reconditam. Ju-  
re itaque, meritoque Eutychnum dog-  
ma appellatur à Facundo Hermianenſi  
ſcitur profanum ac fatuum, & bruta  
contentio: & ipſe Eutyches à Leone Ma-  
gno in Epiſtola ad Pulcheriam dicitur ſe-  
nex indoctus atque imperitus. Sed vide  
ſacrarum hiftoriarum, aut hæreſum ac-  
curatos ſcriptores, necnon diſſertat. Lu-  
pi de Synodo latrociniali Ephesine.

2.  
Damnatio  
Eutychnæ à  
Leone Papa.

Delatus, & impietatis ac hæreſis Euty-  
ches accuſatus apud S. Flavianum Epi-  
ſcopum regiæ urbis Conſtantinopolis, hu-  
jusque monita parvipendens damnatus  
*R. P. Berti Theol. Tom. V.*

eſt à Synodo Conſtantinopolitana ab ipſo  
Flaviano coacta vi. Idus Novembris  
Coſſ. Flaviano Zenone, & Poſtumiano,  
anno nempe 448. ſubſcribentibus Synodo  
Epiſcopis xxxi. & Archimandritis xxi.  
ut recte Pagius ad hunc annum num. 7.  
At damnatus Eutyches per literas con-  
queſtus eſt apud S. Leonem agentem  
Pontificatus ſui annum 9. & quoniam  
ſignificavit iterum Neſtorianam hæreſim  
germinare, movit Pontificem, ut datis  
Epiſtolis ad Flavianum, quæ ſcriptæ fue-  
runt proximo anno 449. zelum Eutyche-  
tis commendaret, jubens ne innocens ve-  
xaretur. Verum acceptis poſtea à Leo-  
ne cum Actis Synodi Conſtantinopolita-  
næ literis Flaviani, Leo ipſe Eutychem  
damnavit; atque impius hæreticus au-  
dacter appellavit ad prætorium Impera-  
toris; à quo dante operam Chriſaphio  
Eunucho, obtinuit ut indicetur Syno-  
dus Ephesine, facta ipſi Eutycheſi ſacul-  
tate Epiſcopos convocandi. Sanctus au-  
tem Leo, cum Theodoſium cogendo  
Concilio non potuiſſet advocare, miſit qui  
ſuas gererent vices; & Synodus quæ in-  
dicta fuerat ad Kalendas Auguſtas, cele-  
brata eſt die vii. ejusdem menſis. Hæc  
eſt Synodus, quam dicunt Latrocinium  
Ephesinum, ſive Synodum Prædatoriam.  
Ibi enim renuentibus Legatis Apoſtolice  
Sedis, à Dioſcuro Alexandrino, & Epi-  
ſcopis aliis Eutychnis, abſoluto Euty-  
chete, damnati fuerunt Sanctus Flavia-  
nus, Euſebius Dorylæenſis, Ibas Edeſſe-  
nus, Theodoretus Cyrenſis, & Domnus  
Antiochenus. Imo Flavianus interpo-  
nens appellationem adeo indignè tracta-  
tus eſt, ut ex numero & atrocitate vul-  
nerum animam efflaverit; eſſi non omnes  
conſentiant, an Ephesi obierit, an Epi-  
pæ in Lydia, quò eum relegarant, an in  
itinere inter cohortes militum & catenis  
devinctus. Dolor tamen plagarum,  
quas acceperat, migrasse ad Dominum,  
tradunt ſcriptores omnes, Evagrius, Li-  
beratus, & alii apud Lupum citato  
loco. Hæc; aliæque Eutychnorum  
facinora in cauſa fuerunt, ut defun-  
cto interim Theodoſio, atque ad Im-  
perium evecto Marciano; indicetur  
Synodus Oecumenica. Hanc idem  
Marcianus cogi primum curaverat  
u Nicæ



Nicaeae in Bithynia, ut Eutyches damnaretur in eadem urbe, ubi proscriptus fuerat Arius; & jam illuc Episcopi quamplures perrexerant: sed cum S. Romanus Pontifex Leo optaret quam maxime, ut Synodo interesset etiam piissimus Imperator, translata est Chalcedonem, ibique praesidentibus ejusdem Leonis Legatis inchoata est VII. Idus Octobris, & absoluta Kal. Novembris an. 451. Pontificatus Leonis XII. & Imp. Marciani II. In hac Synodo damnatus est Eutyches, proscriptus iterum Nestorius; at Theodoretus utrumque haeresiarcham anathematizans fuit in sedem suam restitutus. Exposita nunc historia haeresis Eutychianae, ipsam aggredimur refutandam.

3. PROPOSITIO. Duo sunt in Christo post adunationem naturae distinctae invicem, atque impermixtae, licet separati minime subsistentes, sed in eadem hypostasi, atque persona, unitione physica copulatae.

Demonstratur I. mo.

Demonstratur I. Dominus noster Jesus Christus, cum sit unus atque indivisus, ut supra adversus Nestorianos probatum est; perfectus tamen est Deus, ac perfectus homo, praeditus divinitate, & rationali anima & corpore humano: quorum primum libro VII. cap. 9. & in hoc ipso libro cap. XII. proposit. 2. alterum vero cap. 2. adversus Phantasiastas fuit aperitissime demonstratum. Et quidem assumpta à Filio Dei humanitatis invictum exhibent argumentum ea loca, in quibus dicitur filius hominis, filius Davidis, factus ex muliere, flagellis caesus, crucifixus, atque de eo narratur vulnera sua palpanda discipulis praebuisse: ac divinitatem ea contestantur, in quibus appellatur Deus, Unigenitus permanens in sinu Patris, Filius Dei proprius, Panis qui de caelo descendit, antiquior Abrahamo, & Dominus benedictus in saecula. Quae omnia divinarum scripturarum auctoritate comprobata necessarium non est, ut iterum producamus. At ex quo Dominus Jesus Christus sit Deus verus, divina in ipso natura debet propugnari; & ex quo sit perfectus homo, tenemur perfectam in ipso humanitatem profiteri. II. Huc spectant verba, quibus Verbi Incarnationem nobis divina eloquia proponunt. Ac primo Joannes Evangelista, posteaquam praecleara de Verbi divinitate enuntiavit, affirmans quod in principio erat Deus, quod omnia per ipsum facta sunt, quod erat lux illuminans omnem hominem, *Et Verbum* (inquit) *caro factum est*. Itaque, ut inquit S. Leo in Epistola ad Flavianum

Demonstratur 2do.

Addamus tamen ad frangendam penitus Eutychianam perfidiam argumentum quartum ex Patrum traditione deproptum. Plura asserunt testimonia Bellarminus lib. I. de Christo cap. 3. Nat. Alexander Dissert. XXIV. saeculi V. ac Theologi omnes. Verum nos afferemus duntaxat aliqua ex Patribus, quorum testimonia recitata, ac probata fuerunt

lecta in II. Actione Synodi Chalcedonensis, *Unus idemque* (quod saepe dicendum est) *vere Dei filius, & vere hominis filius. Deus per id, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: homo per id, quod Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: Deus per id, quod omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: homo per id, quod factus est ex muliere, factus sub lege*. Eadem est vis verborum Apostoli ad Philippenses II. 6. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. III. Eandem veritatem confirmant universa fere Christi opera, de quibus eadem ad Flavianum Epistola S. Leo: *Nativitas carnis manifestatio est humanae naturae; partus virginis divina est virtutis indicium: infantia parvuli ostenditur humilitate cuniarum, magnitudo Altissimi declaratur vocibus Angelorum. Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impius molitur occidere; sed Dominus est omnium, quem Magi gaudentes veniunt suppliciter adorare. Cum ad Praecursoris sui baptismum venit, ne lateret quod carnis velamine divinitas tegeretur, vox Patris de caelo intonans dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Sicut hominem diabolica tentat astutia; sicut Deo angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lassescere, atque dormire evidenter humanum est: quinque panibus quinque millia hominum satiare, largiri Samaritanam aquam vivam &c. sine ambiguitate divinum est. Non ejusdem naturae est flere miserationis affectu amicum mortuum; & eundem remoto quatridentina aggere sepulturae ad vocis imperium excitare redivivum: aut in ligno pendere, & in noctem luce conversa, omnia elementa tremefacere: aut clavis transfixum esse, & paradisi portas fidei latronis aperire. Non ejusdem naturae est dicere, Ego & Pater unum sumus; & dicere, Pater major me est. Vide Tom. IV. Conc. Labbei pag. 352. His vero quid proferri potest aut eloquentius, aut robustius, aut majori auctoritate firmatum?*

Demonstratur 3do.

4. Confirmatur ex Patrum traditione.



runt Aët. 2. Chalcedonenſis Synodi. Sunt hi, Hilarius, qui libro nono de Trinit. ait: *Nescit plane vitam suam, nescit qui Christum Jesum ut verum Deum, ita & verum hominem ignorat.* Gregorius Nazianz. scribens in Orat. de Nativitate, *Missus est quidem, sed ut homo: duplex enim erat in eo natura.* Ambrosius, cujus in 2. lib. de Fide ad Grat. cap. 4. hæc sunt verba: *Idem Deus, idem homo: per divinitatem Deus, per suspensionem carnis homo.* Et paulo infra, *Servemus distinctionem humanitatis, & carnis.* Joannes Chrysostomus Hom. de Ascensione demonstrans quare Christus sit mediator Dei, & hominum exemplo illius, qui in medio positus duorum altercantium litem omnem dissolvit, *Se (inquit) medium Christus ingessit, & sociavit utramque naturam.* Similia tradit S. P. Augustinus in Epistola ad Volusianum: *Inter Deum & homines mediator apparuit, in unitate personæ copulans utramque naturam.* Cyrillus Alex. in libro de Incarnat. Cap. 13. ait: *Unum, eundemque Jesum Christum dicimus non ignorantes differentiam naturarum, sed eas inconsuſe inter se servantes.* Ex his ab Oecumenica Synodo comprobatis liquet quænam sit communis SS. PP. traditio: quam etiam accurate expendit in Dialogis Theodoretus, & in Epist. ad Leonem Augustum S. Leo. Accedunt definitiones Conciliorum, Constantinopolitanum, quod celebratum diximus sub Flaviano, an. 448. & alterius, quod ibidem habitum fuit sub Anatolio post biennium; Chalcedonenſis celebrati proximo anno 451. cum interven- tu Episcoporum DCXXX. atque aliorum posteriorum.

5.  
Probatur ra-  
tione.

Denique probatur Catholicum dogma argumentationibus Theologicis: quarum prima est, quia nisi post unionem duæ in Christo asserantur naturæ; universa reparationis nostræ mysteria evertuntur, atque unum ex his consequi necesse est, aut divinitatem fuisse immutatam morti- que obnoxiam, aut humanitatem impa- tibilem atque immortalem. Quare si Christus mortuus est, ac mundum rede- mit pretio sanguinis sui, id perfecit in humana substantia, illam assumens in uni- tionem divinæ, atque, ut ait lib. 1. Aët. Apost. cap. 4. Arator:

*Se quoque permittens, fusæ Geni-  
tricis ab alvo*

*Carnis jura pati, vitam ne perde-  
ret orbis*

*Maluit ipse mori; sed quod de Vir-  
gine facta*

*Nascitur, illud obit.*

R. P. Berti Theol. Tom. V.

Altera ratio est, quod nequeat percipi hypostatica unio, nisi utraque natura in sua substantia permaneat. Quæ enim ad unum aliquod constituendum necesse est; uno ex his modis uniri debent, quos cum Divo Thoma in 1v. contra Genti- les Theologi omnes agnoscunt: vel enim uniuntur duntaxat aggregatione, utro- que extremo integro, perfectoque per- manente; quemadmodum ea, quæ unum per accidens constituunt, ut corpus, & habitus, aut acervus lapidum, vel cu- mulus arenarum; quam unionem in Christo statuebat impius Nestorius supra refutatus: vel uniuntur secundum hypo- stasim, utroque extremo stante per ean- dem subsistentiam, sicut unitur corpori rationalis anima ad constituendum homi- nem; & hæc unio postulat naturarum distinctionem, quotiescunque una in al- teram nequit converti, ut spiritualis in corpoream; aut utraque non ita permi- ſcetur, ut resultet tertia quædam sub- stantia, ut evenit in compositione mix- torum. At natura divina nequit in hu- manam converti, & vicissim humana in divinam; non enim Deus mutabilis est, nec creatura fieri potest essentialiter im- mutabilis. Mixtio etiam, ex qua tertia quædam species coalescit, absque par- tium mutatione non evenit. Dantur quidem alia unitorum genera, in quibus duo inter se diversa unum constituunt, partium natura remanente, ut in senten- tia vulgari physicum corpus ex materia, & forma compositum; sed nec hujus- modi unio reperitur in Incarnatione, cum nequeat divina natura habere ve- ram propriamque rationem partis: ne- que hæc unio spectat ad refellendam hæ- resim Eutychianam, cum in hac unio- ne stet naturarum discrepantia ab Euty- chete oppugnata. Num vero repugnet quod divina natura pars dicatur, est alia quæstio; quam puto nihil pertinere ad hæreticum dogma sacris literis, traditio- ne Patrum, atque manifesta ratione pro- fligatum.

#### RESPONDETUR EUTYCHIANIS.

Hæresim Eutychetis firmare videntur ea verba Joannis 1. 14. *Verbum caro factum est.* Quod enim sit caro, in car- nem vertitur. Si ergo Verbum factum est caro, cur versum in carnem non est dicendum? Virga quidem Moyſis, de qua Exodi 1v. 2. legimus factam colubrum, in verum serpentem fuit commutata, ab- sorpta scipionis natura; uxor Lot, quam factam statuam, aut columnam salis le- gimus in Gen. cap. xix. 26. nil fuit post- hæc, quam corporis humani in salinum

6.  
Obicitur 1.

U 2

con-



conversio; & aqua, quæ in nuptiis Canæ Galilææ facta est vinum, Joannis II. 9. nonne pristinam naturam commutavit? Idem ergo de illis verbis Evangelicis, *Verbum caro factum est*, videtur absque ulla cunctatione asserendum, maxime quod verba verbis ubique respondent in Græcis, tametsi alicubi Latina Versio conversionem significat, quam de assumpta humanitate minime enuntiat. Ut enim Joan. I. 14. extat, *Kai ô λόγος σὰρξ ἐγένετο*, Et Verbum caro factum est; ita Gen. XIX. 26. *Kai ἐγένετο στήλη ἀλός*, Et facta est columna salis; Exodi IV. 2. *Kai ἐγένετο ὄφis*, Et facta est serpens; & Joannis II. 9. *τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενῆσθαι*, Aquam vinum factam. Occurrit ubique idem Verbum *γίνωμαι* demonstrans novæ alicujus substantiæ productionem. Addamus, nisi hæc sufficiant, exemplum ex ipso corpore Christi depromptum; negari enim non potest quod revera panis substantia in Christi corpus convertatur, idque demonstraretur ex illis verbis Mat. XXVI. 26. *Hoc est corpus meum*. Ratione consilii si recte dicitur, *Verbum est caro*, aut *factum est filius hominis*, affirmare debemus conversionem divinitatis in carnem.

7.  
Responde-  
tur.

Resp. dist. ant. Quod sit caro, in carnem vertitur, si fiat assumptione humanitatis in Deum, nego: si conversione divinitatis in carnem, concedo. Priori modo Verbum factum esse carnem, Patres unanimi sensu demonstrant. Ignatius in Epist. ad Trallianos, Epiphanius H. 77. Ambrosius lib. 1. de Incarnat. cap. 6. Joannes Chrysostomus Hom. 1. in Joannem, Fulgentius de Incarnat. cap. 10. & Ecclesia demum universa in Symbolo Athanasiano. Legi poterunt interpretationes Patrum apud L' Hermier Tom. 3. pag. 181. Nos enim, ut istiusmodi argumentationes penitus evanescant, ac simul responsio nostra suppeditet locorum similium intelligentiam, hæc ducimus reponenda. Tam Hebraicum verbum *היה*, quam Græcum *γίνωμαι*, ac Latinum *fieri*, quæ in præfatis locis occurrunt, plures habent significationes; nam *היה* idem est, ac *esse*, *compleri*, *evenire*, & aliquando etiam *perire*, *vel frangi*; hoc postremum tamen in conjugatione *Niphal*, ut Daniel VI. 11. 27. Similiter *γίνωμαι* valet *fieri*, *exoriri*, *nasci*, *contingere*, *consistere*, necnon *conjugi*, *accedere*, atque *uniri*. Eadem, & longe amplior est significatio verbi *Esse*, ac *fieri*. Itaque ex verbis Evangelicis *Verbum caro factum est*, optime colligimus naturarum duarum unitiorem, nec necesse est intelligere conver-

sionem, & confusionem earundem. At cur hanc cæteris in locis admittimus? Non ex vi verbi: sed rerum, quæ fieri dicuntur. Si enim res nequeat in eam, quam fieri dicitur, mutari; absurdum est opinari *factam* taliter, ut sit immutata. Sic verbum mentis fit vox, dum ore profertur quod versatur in mente; sed cum verbum mentis spiritale sit, vox autem sonus sensibilis, nec spiritale in sensibile verti queat; nemo dixerit, dum loquimur, verbum quod sit vox, naturam amittere spiritalem; atque hoc exemplo exponit *Verbum caro factum est*, Doctorum Aquila Augustinus serm. 187. aliàs 17. de Tempore. At si natura rerum sit mutationi obnoxia, ut panis, aqua, humanum corpus, & qualibet res creata; ubi *fieri* dicitur aliquid, ac verba sensum exhibent proprium, ac literalem, mutationem naturarum debemus intelligere. Accipe traditam à Divo Cyrillo regulam in Dialogo de Incarnat. Unigeniti, Tom. v. pag. 717. *At si Verbum, inquit, factum est caro, jam non amplius mansit Verbum, sed potius desit esse quod erat. Atqui hoc merum delirium, & dementia est, nihilque aliud quam mentis errata ludibrium. Censent enim, ut videtur, per hoc factum est, necessaria quadam ratione mutationem alterationemque significari. Ergo cum psallunt quidam, Et factus est mihi Dominus in refugium: & rursus. Domine, refugium factus es nobis, quid respondebunt? Anne Deus, qui hic decantatur, desinens esse Deus, mutatus est in refugium, & translatus est naturaliter in aliud, quod ab initio non erat? Cum itaque Dei mentio sit; si ab aliquo dicatur illud, Factus est, quo pacto non sit absurdum, atque adeo vehementer absurdum, existimare mutationem aliquam per id significari, & non potius conari id aliqua ratione intelligere, prudenterque ad id, quod Deo maxime convenit, accomodari?*

8.  
Roboratur  
Responsio.

Addo in lisdem Scripturæ locis talem phrasim contineri, ut non obscure significetur mulieris corpus, virgam Moysis, aquam, ac panem in salis acervum, in colubrum, in vinum, in corporis Christi substantiam fuisse commutata. Enim vero Genes. x. 26. habet Hebraicus codex *וְהָיָה צֶמֶח מִלֶּחֶם*: Et fuit cumulus salis, ac similiter Græcus, *Kai ἐγένετο στήλη ἀλός*, Et commutata est in columnam salis: quæ simplex phrasis, verbique absque subiecto expressio com- monstrat priorem substantiam in alteram fuisse mutatam: quod dici nequit de versu 14. cap. 1. Joann. ubi subiectum apponitur cum articulo, *ὁ λόγος*; Vul-



Vulgata autem ibidem legit, *Versa est in statum salis*. Veram itaque prioris naturæ conversionem istic phraſis ipsa demonstrat. Idem dicendum de versu 3. cap. iv. Exodi, ubi extat in Hebraicis **וְהָיָה לְנָחָשׁ** *Et fuit serpens*: in Græcis, **Καὶ ἐγένετο ὄφις**, *Evasit coluber*; in Vulgata, *Versa est in colubrum*: eadem scilicet phraſeos simplicitate, ac proprietate sermonis. Notandum præterea est in hebraico suffixum **שׁ**, quod ut plurimum veram conversionem naturæ pristinæ innuit, ut Genes. 11. 7. **וַיִּהְיֶה לְנֶפֶשׁ**, *in animal vivens*: ibidem v. 22. **לְאִשָּׁה**, *in mulierem*: atque ipso capite iv. Exodi versu 4. **לְמִטָּה**, *in baculum*, & versu 9. **לְדָם**, *in sanguinem*. In Græco etiam versu proximo conversionem virgæ in serpentem declarant apertissime ea verba: **Καὶ πᾶσιν ταύτην τὴν σφαδραῖαν εἰς ὄφιν**. In his ergo locis veram conversionem ipsa verba declarant, & **γινώσκω**, *feri*, idem est, ac **σπερμαίνω**, *converti*. In cap. 11. Joannis satis ostenditur non fuisse cum vino permixtam aquam, ex quo archiriclinus, & convivæ gustu experti fuerint vinum esse merum, *bonum*, ac priori robustius, non autem admixtum, sive aqua dilutum. Matth. denique 26. de Eucharistico Pane legitur, *Hoc est corpus meum*, **ταῦτ' ἐστὶ τὸ σῶμά μου**, neutro pronomine *hoc*, **ταῦτο**, tametsi masculini generis sint *panis*, & **ἄρτος**. Demonstrat autem pronomen *Hoc* id, quod illa enunciatione significatur, redditque sensum planissimum, *Hæc res*, demonstrato Corpore Christi, *est corpus meum*. Si autem permaneret post consecrationem substantia panis, non pronomine hujusce generis usus fuisset Salvator. Sed de hoc postremo loco dicam alibi. Nunc ex ipsa verborum proprietate liquet in omnibus locis supra allatis designari conversionem substantiæ, nec idem affirmandum esse de textu illo: *Verbum caro factum est*.

9.  
Notandum  
contra Euty-  
chianos.

Verum est aliquid aliud adversus Euty-  
chianos in his Scripturarum textibus  
adnotandum. Non adeo desipuit Euty-  
ches, ut crederet divinitatem Verbi de-  
mutatam in carnem; sed credidit ipsam  
carnem ita à divinitate absorptam, ut  
transiens in hujus naturam divina fieret,  
& quod humanum est, & corporeum  
factum esset umbratile. Igitur nihil ad-  
ducta exempla pro Eutychianis efficiunt,  
statua enim salis, in quam versa est uxor  
Lot, vera fuit, & suo tempore adhuc

extitisse scripserunt Joseph lib. 1. Anti-  
quitatum cap. 12. & Rab. Benjamin in  
suo Itinerario: imo etiamnum persistere,  
quod incertum est tamen, arbitrantur  
Bochartus, & Adricomius citati à Tiri-  
no; & si recipiendum foret Targum  
Jerosolymitanum, stabit usque ad mun-  
di consummationem. Ita serpentis, ac  
vini substantia vera ac propria dicenda  
est. Idem de Christi corpore in Eucha-  
ristia docet Fides Catholicorum, pro-  
bantque verba illa, *Hoc est corpus meum*,  
quarum vocum prima est pronomen  
proprium, ac subjecti demonstrativum,  
altera est verbum quo exprimitur vera  
existentia, & prædicati cum subjecto  
connexio, tertia nomen est proprium  
subsistentis carnis, postrema est manife-  
sta nota personæ; nec ulla propositio est,  
quæ magis expresse literalem sensum ex-  
hibeat. Si ergo tenenda est prædicto-  
rum locorum æquiparatio, ex illa enun-  
tiatione, *Verbum caro factum est*, con-  
sequitur tantum veram post Incarnatio-  
nem extitisse carnem assumptam à Ver-  
bo: quod verissimum est, & immerito  
negatur ab Eutychianis.

Postremo Joannes Evangelista non so-  
lum ad demonstrandam substantialem  
duarum naturarum unionem inquit,  
*Verbum caro factum est*, sed etiam ad  
innuendam earundem naturarum discre-  
pantiam addidit, *Et habitavit in nobis*.  
Quod animadvertens beatissimus Joan-  
nes Chrysostomus hom. 11. in Joan. ait:  
*Quid enim subjicit? Et habitavit in no-  
bis; tanquam sic te alloqueretur: Vide,  
ne quid absurdi suspiceris ex illa voce.*  
*Non enim mutationem illam immutabilis  
illius naturæ significavi, sed habitatio-  
nem, & commorationem. Porro id quod  
habitat, non est idem cum eo, quod babi-  
tatur, sed diversum.* Hoc itaque loco  
tam Nestoriana, quam Eutychiana hære-  
sis confoditur, & quemadmodum obje-  
ctio Nestorii dividens personam Verbi  
à persona Christi, ac probantis solam  
unius in altero inhabitationem ex illis ver-  
bis *Et habitavit in nobis*, retunditur ex  
præcedentibus, *Verbum caro factum  
est* demonstrantibus hypostaticam utri-  
usque naturæ unionem: ita objectio  
Eutychetis ambas naturas confunden-  
tis & permiscens, petita ex ver-  
bis illis *Verbum caro factum est*, revin-  
citur ex iis, quæ proxime sequuntur,  
*Et habitavit in nobis*, aperte common-  
strantibus duarum naturarum propria-  
tem, & discrepantiam.

10.  
Discrepan-  
tia natura-  
rum in Chri-  
sto.



11.  
Obijciunt ex  
Patribus.

Sunt etiam aliqua veterum Patrum testimonia, quæ videntur facere pro Euty-  
chianis. Etenim Tertullianus pluri-  
bus in locis appellat Christum *hominem*  
*Deo mixtum*. Ita in libro de Carne Chri-  
sti cap. 3. 15. & 21. Apologetici. In lib.  
autem adversus Praxeam cap. 27. propu-  
gnat utriusque naturæ *mixturam*, &  
conversionem. Idem docet in Epistola  
ad Volusianum S. P. Augustinus. Eadem  
est doctrina S. Maximi Episcopi Tauri-  
nensis hom. 4. de Nat. Domini, Eulogii  
Alexandrini apud Photium, Leporii  
Presbyteri, imo & Leonis Magni serm.  
3. de Christi nativitate. Horum loca  
collegit, expenditque Lupus in Syno-  
dum Ephesinam. De Cyrillo, qui unam  
dixit naturam Dei Verbi incarnatam,  
plura cap. xv. Favet Eutychanis Julius  
Rom. Pontifex in Epistola ad Dionysium  
Episcopum Corinthiorum, ubi aperte  
unam in Christo proficitur naturam.  
Sunt quidem nonnulli, qui hanc Episto-  
lam spuriam censent; sed esse genuinam  
affirmat Ephraemius Antiochenus, &  
Gennadius de Scriptoribus Eccl. atque  
hunc male reprehendi à Baronio ad an-  
num 352. n. 6. observat Petavius lib.  
iv. de Incarnat. cap. 6. Absque ulla dein-  
de ambiguitate tradit dogma Eutychia-  
num S. Greg. Thaumaturgus in celebri  
illa sententia, *In Christo non duæ perso-  
næ, neque duæ naturæ*. Denique defu-  
mi potest pro Eutychanis argumentum  
ex vetustissimo Scriptore Justino, qui in  
2. Apologia instituit comparisonem in-  
ter Incarnationem Verbi, & Eucharis-  
tiæ Sacramentum; & ideo quemadmo-  
dum panis fit corpus Christi per conver-  
sionem substantiæ, ita Verbum per sub-  
stantiæ conversionem factum est caro.

12.  
Responden-  
tur.

His respondentes dicimus Tertullia-  
num, Augustinum, Maximum, Eulo-  
gium, & Leporium mixtionis & conver-  
sionis nomine intelligere veram assump-  
tionem humanitatis, non talem per-  
mixtionem, qualis est corporum liqui-  
dorum, ex qua resultat tertia quædam  
substantia. Et quidem Tertullianus de  
Carne Christi hunc sibi scopum propo-  
suit, refutandi errorem illorum, qui  
Christi corpus putabant umbratile atque  
phantasticum: atque in Apologetico de-  
monstrata utriusque naturæ discrepantia  
commonet, ne arbitremur talem in Chri-  
sto esse mixtionem, qualis fit ex auro  
& argento, dum efficitur electrum. At  
S. P. Augustinus in Ep. 3. nunc 137. ad  
Volusianum num. 9. ait. *Inter Deum &  
hominem (Christus) mediator apparuit,*

*in unitate personæ copulans utramque na-  
turam.* Itaque *mixturæ* nomine hanc  
personæ unitatem intelligit; quod seq-  
num. 11. sic exponit: *Nam sicut in uni-  
tate personæ anima unitur corpori, ut  
homo sit: ita in unitate personæ Deus  
unitur homini, ut Christus sit.* In illa  
ergo *persona mixtura est animæ, & cor-  
poris: in hac persona mixtura est Dei &  
hominis; si tamen secedat auditor à con-  
suetudine corporum, qua solent duo li-  
quores ita commisceri, ut neuter seruet  
integritatem suam: quamquam & in ipsis  
corporibus aëri lux incorrupta misceat-  
tur.* Ergo *persona hominis mixtura est  
anima & corporis: persona autem Chri-  
sti mixtura est Dei & hominis.* Hanc  
esse S. Leonis doctrinam liquet ex iis,  
quæ deprompta sunt paulo supra ex au-  
reis ejus contra Eutychem Epistolis.  
Idem sensere Eulogius, & alii, qui  
mixtionis nomine uti sunt, ne quis in-  
duceret cum Nestorianis personarum di-  
visionem; ut de Eulogio inquit ipse  
Photius, & de Cyrillo dictum est supra.  
Quandoquidem vero Cyrilli mentionem  
fecimus; dirimit ipse omnem oppositio-  
nem lib. 1. contra Nestorium cap. 3.  
*Mixtionis nomen (inquit) posuerunt  
nonnulli etiam Sancti Patres, sed quod  
metuere te dicis, ne qua confusio conti-  
gisse existimetur ad instar liquidorum, quæ  
inter se mutuo commiscuntur, libero te  
hoc metu. Non sic illi senserunt. Mi-  
nime: sed ea voce sunt uti, cum summam  
unionem ostendere studebant.* Julii Episto-  
lam revera suppositam esse probat Leon-  
tius in libro de Sectis, ex quo tanquam  
fœtum alicujus Apollinaristæ illam  
commemoret, ac refellat S. Grego-  
rius Nyssenus in libro quem adversus  
Apollinarem conscripsit. Ephraemius  
autem, qui illam recipit ut genuinam,  
testatur non *unam* ibidem naturam dici  
absolute, sed *unam naturam divini Ver-  
bi incarnatam*: quod jam explicatum est  
in Cyrillo: ideoque potest probari hæc  
Epistola, & male reprehenditur à Gen-  
nadio. Verba, quæ ex Gregorio citata  
sunt, sunt hominis Apollinaristæ, & San-  
cto Episcopo Neocæsariensi perperam  
afficta, ut animadvertit idem Leontius.  
Justinus denique in eo comparat Eucha-  
ristiam Incarnationi, quod sicut in Chri-  
sto fuit vera humanitas prædita carne &  
sanguine, producta divinitus per Ver-  
bum Dei; ita in Eucharistia recipimus  
alimentum, quod vere ac proprie conti-  
net sub speciebus panis Jesu Christi car-  
nem & sanguinem. Fieri autem utro-  
bique naturarum eodem pacto conver-  
sionem Justinus minime affirmat: *Quem-  
ad-*



admodum, inquit, per Verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus ſervator noſter: & carnem, & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit: ita quoque illud, in quo per preces Verbi ab ipſo profeſſi gratiæ ſunt actæ, alimentum ipſius Jeſu Chriſti Incarnati carnem, & ſanguinem eſſe edoſti ſumus. Nam Apoſtoli in Commen- tariis à ſe ſcriptis, quæ Evangelia vo- cantur, tradiderunt ita ſibi præcepiſſe Jeſum, & pane accepto, gratisque actis dixiſſe: Hoc facite in memoriam mei, Hoc eſt corpus meum. Nullus ita-

que Patrum probavit Eutychetis inſu- niam; ſed omnibus eſt ſententia conſtans & inviolabilis, quod Unigenitus Dei ſe- metipſum exinavit formam ſervi acci- piens, neque commixtionem paſſus, ne- que diſiſionem, atque, ut cecinit libro I. de Partu Virginis Honorius Fortuna- tus;

Non Deus in carnem eſt verſus,  
Deus accipit artus,  
Non ſe permutans, ſed ſibi mem-  
bra levans.

## C A P U T XIX.

Quam inſcite & impudenter Avitus Academicus inſimula-  
verit Eutychianæ hæreſeos Homiliam Clementis XI.  
Pontificis Maximi.

### S U M M A R I U M.

I. Status quæſtionis.

2. & ſeqq. Clementinæ Homilia demonſtratur eſſe immunis ab omni proſus errore.

I. Status quæſtionis.

**O**PPUGNATAM hæreſim Eutychetis vi- ſus eſt ſibi deprehendere in Homi- lia, quam in ſacro Purpuratorum Patrum Senatu, & frequentiffima Eccle- ſiaſticorum virorum concione habuit an- no 1702. SS. Papa CLEMENS XI. in ſo- lemnī die Dominicæ Reſurrectionis, il- lamque à nullo Theologo poſſe à nota hæreſeos purgari cenſuit Janſenianus quidam, qui parvum de hac homilia li- bellum vulgavit, cum hæc inſcriptione, *De Clementina periodo, Hodie forma ſer- vi reverſa eſt in formam Dei.* His ver- bis hæreſim contineri tam audacter, tam confidenter perſuaſum habet, ut Roma- næ Communionis Theologos, & præ- ſertim Pontificiæ auctoritatis Propugna- tores ita alloquatur: *Quid è Magiſtris veſtris ingenio, eruditione, calliditate præſtant, ab errore Eutychiano liberent hanc periodum, &c.* Nec eſt unde mi- remur hujus inſimulatoris licentiam: Jan- ſenianus eſt enim, id eſt, ex illorum cœtu, quos memoratus Pontifex Ma- ximus exemplo Prædeceſſorum ſuorum inſectatus ſtudit omnino comprimere, confirmatis, novisque editis Conſtitu- tionibus, quarum alibi mentionem fe- cimus. Sed quod ait præfatam perio- dum neque ingenio, neque eruditione, neque calliditate poſſe demonſtrari ab hæreſi immunem, id non ſolum arro- gantiæ perverſæque mentis indicium eſt, verum etiam aut ſummæ ignorantie, aut exquisitæ malitiæ, calumniæque exe- crabilis. Illam quippe periodum veram,

libratam, & Catholicam eſſe conſequens propoſitio ſuadebit.

PROPOSITIO. Allata Clementina pe- riodus ponderata eſt, gravis, & ab omni, vel minimo errore immunis.

Demonſtratur. Ideo Avitus Academi- cus Clementinam periodum tanquam Eutychianam auſus eſt inſectari, quo- niam forma apud plures Eccleſiæ Patres naturam ſignificat; & conſequenter ſicut forma, & natura ſervi ſecundum Chri- ſtianæ Religionis effata nunquam fuit for- ma Dei; ſic nec in illam reſurgente Do- mino reverſa fuit, nec reverſura eſt un- quam. Hæc tota Aviti argumentatio, nullo ingenii acumine, nulla dialectica arte, nulla, ſi ipſi fides eſt adhibenda, orationis ſolertia diſpellenda. At forma vocabulum ſæpenumero ſignificare na- turam, præſertim apud Patres, qui Eu- tychetem conſutarunt, verum eſt; hanc ſolam ſignificationem habere, falſum eſt penitus. Plura congerit Avitus testi- monia, in quibus duplex forma enuncia- tur de Chriſto, ſcilicet, duplex ſubſtan- tia. Nos omniaprobamus: revera enim habuit Salvator formam Dei, in qui æqualis eſt patri, & formam ſervi, qua minor eſt patri; inquit in Pfalmum 67. Auguſtinus. At num id tantum forma ſignificat? Minime: & apud Latinos, & apud Græcos, non profanos tantum, ſed etiam ſacros, divinosque Scriptores com- monſtrat effigiem, imaginem, & externa latentis naturæ, dignitatisque argumenta.

Hoc



Hoc sensu usurpat vocem illam Cicero in 2. de Officiis, & 2. de Finibus. Virgilius in 6. Aeneid. Terentius in Andria, & nullus est, qui non habeat in sermonis consuetudine, *Egregius forma, forma liberali, forma bona*. Clemens XI. latini sermonis proprietatem, quantum lingua ejus scripta testantur, novit maxime. Non solum latinum *forma*, etiam græcum *μορφή* cum naturam, tum externam faciem significat. Duplicem naturam demonstrat Apostolus ad Philippenses scribens: Ος ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπαρχων, & μορφῇ δούλου λαβὼν. *Qui cum in forma Dei esset, & Formam servi accipiens*. Pro effigie, ac faciei imagine usurpatur vox eadem *μορφή*, Marci xvi. 12. ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, *in alia effigie*. Itaque Clemens XI. dum ait, *Hodie forma servi reversa est in formam Dei*, non commixtionem ostendit humanæ divinæque naturæ, sed commutationem corporis tot vulneribus sauciati, & cujus non erat species aut decor, in splendendum ac redivivum, ita, ut quemadmodum ex priori effigie dignoscebatur humanitas, ita ex gloria resurgentis sit manifestata divinitas. Non ergo natura in naturam reversa est; sed nostræ mortalitatis imago in gloriam immortalitatis: ex qua Christum, quem reputarunt scelerosum & impium, agnoverunt esse mundi Reparatorem, & unigenitum Filium Dei.

3.  
Confirmatur 1.

Neque, ut Clementina oratio hunc referat sensum, indiget benigna interpretatione legentium. Sensum ipsum exhibet, & ob oculos statuit, ut qui illum non percipit, aut detorquet, vel insigniter sit malignus, vel habeat fungum pro cerebro. Enimvero in eadem Homilia ad hunc modum loquitur Romanus Pontifex: *Hodie nimirum novus Adam non in animam viventem, sed in Spiritum vivificantem formatus apparuit, novam mundo daturus progeniem, non terrenam & sordidam, sed cælestem & splendidam. Hodie verum Dei Templum Judaica nuper impietate destructum divina post triduum Omnipotentia reparavit. Hodie forma servi reversa est in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad pristina altitudinis rediit majestatem. Hodie qui traditus fuerat propter delicta nostra, resurrexit propter justificationem nostram. Reddunt inferna victorem, suscipiunt superna triumphantem; infirmitas quippe in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transiit in gloriam. Vide quid sit formam servi in Dei formam reverteri? Non est utriusque naturæ permixtio, sed passionis, & contumeliæ in gloriam Resurgentis commu-*

ratio. Christus enim resurgens à mortuis, jam non moritur: atque *vir dolorum*, cui non erat species, neque decor, despectus & novissimus virorum, in quo posuit Dominus iniquitates omnium nostrum: factus est speciosus præ filiis hominum: factus est incorruptilis, qui potuit vulnerari: factus est immortalis, qui potuit occidi: factus est impassibilis, qui potuit crucifigi: inquit idem summus Pontifex homilia, quam habuit in eadem solemnitate anno 1704.

Cum itaque verborum suorum Clemens XI. sit tam disertus, atque accuratus interpres, neque ex eadem homilia potuerit invidus improbusque obrectator haurire suspicionem erroris; unde nam illam venefico ore potuit ebibere? Num alicubi fidei Custos & Ecclesiæ Pastor Eutyichianum se prædit? Sed legat calumniator homiliam, quam in die dominicæ Nativitatis habuit eodem anno 1704. Pontifex sapientissimus. *Ineffabile divinum Verbum* (inquit) *quod in principio erat, & apud Deum erat, & Deus erat; & Patris sinu prodiens, Patri coexistens, Patri coæternum in ipsa Patris substantia semper manens, & ex ipsa semper effulgens, hoc sane Verbum, ut nuper audistis, caro factum est, & habitavit in nobis: in nobis, quos Verbi sibi divinitas coaptavit, cujus caro de utero Virginis sumpta nos sumus; gemina nimirum in unam Personam conveniente natura, verus Deus, & verus homo natus est Christus, ut illi vera inesset Deitas ad miracula operum, nec vera deesset humanitas ad tolerantiam passionum.* Atque tam aperta hæresum omnium adversus Domini Incarnationem, & maxime Eutyichianæ, damnatio nonne debuit putidum Aviti os obstruere, & impudentem linguam frænare?

Sed quod magis damnae hominis audaciam: illa eadem Clementina periculis verbis Patrum contexta est. Desumptam ex Arnolfo Carnotensi, qui floruit ætate divi Bernardi, & cujus opera extant Tom. xxi. Biblioth. PP. animadvertit vir doctus Philippus Vanwaure nostri Ordinis, in Velitatione hæresis Jansenianæ, quam inscripsit *Augustinus Europæus*. Sed habet Auctorem longe celebriorem, sanctissimum nempe Martyrem Cyprianum; qui sermone de Resurrect. pag. 443. inquit: *Hec Paschalia gaudia ipsi Angelici Spiritus, & resurgentis Domini gloriam admirantur; letantur, & delectantur in eo, quod forma servi reversa sit in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad depositæ altitudinis redierit majestatem.* Confer modo, Avire, cum

4.  
Confirmatur 2.

5.  
Confirmatur 3.



eum Cypriano Clementem. Hic loquitur ad hunc modum: *Hodie forma ſervi reuerſa eſt in formam Dei, ac exinatio humilitatis ad priſtinam altitudinis rediit maieſtatem.* Cyprianus ait: *delectantur in eo, quod forma ſervi reuerſa eſt in formam Dei, & exinatio humilitatis ad depoſitam altitudinis redierit maieſtatem.* Non opus hic eſt Magiſtris, qui præſtent ingenio, eruditione, & calliditate: eadem Cyprianum ſcribere, eadem Clementem videt enim lippiens, ac tonſor. Igitur aut Eutychieſus uterque eſt, aut nec unus, nec alter. Quis autem audeat rodere Cypriani orationem, tanquam errore Eutychieſo conſperſam?

6.  
Confirma-  
tur 4to.

Non video, quid respondere poſſit Calumniator, niſi forte aliam verborum cautionem adhibendam fuiſſe Clementi longe poſt damnatum Eutychieſum in conſpectu univerſalis Eccleſiæ peroranti, quæ adhibenda non fuit Cypriano antiquiori tempore, atque in privata Eccleſia concionem habenti. Quod ſi forte effutiret, id magis ipſius Aviti contunderet temeritatem. Loquens enim Pontifex in Catholica Eccleſia, atque in coetu Orthodoxorum Procerum, *non ſe aliter intelligi arbitrabatur, tali quaſtione nullus pulſabatur, ſecurius loquebatur.* Atque hac reſponſione, qua Magnus Auguſtinus vindicat adverſus Julianum lib. 1. cap. 6. quamdam ſententiam Chyſoſtomi, ſarta teſtaque eſſet Clementis oratio, quamquam foret ob aliquam texturam minus accuratam verborum ſenſus

ejuſdem orationis ambiguus. Apertiffimus eſt tamen, ponderoſus, Patrum undique auctoritate munitus, nec unum fere verbum ibidem occurrit, quod perſpicuo ſimul mirabilique artificio non ſit à Sanctorum libris depromptus. Illa quoque interpretatio, quam deſiderare poſſet Criticus ſubmorofus, ut liquatiſſime ex dictis apparet, eidem periodo ſubnectitur. Ad frangendam præterea Janſeniani huius audaciam accedit ſermo xxxvi. Petri Chryſologi Ravennatenſis Antiftiſtis, in quo legimus: *Nonne Dominus, ut hominis faciem præferret & formam, formam propriam deitatis auſugit?* En vocabulum *forma* in eodem Clementinæ periodi ſenſu uſurpatum à viro doctrina ac ſanctitate ſpectabili, qui floruit vivente Eutychieſo, & adverſus illum glorioſe ſtylum exercuit.

Plura adverſus ſummi Pontificis imperitum, injuſtiſſimumque accuſatorem non proferam, tamen poſſem permulta; ne forte opinetur, nos aut diſſertationem illam pluris facere, aut ab ipſo mentem noſtram quamvis perhumilem, & anguſtam plurimum coarctari. At hæc reſpondere placuit, ut agnoſceret quanta facilitate machinam, quam putat firmiſſimam, ſubvertamus. Bovem pinguem ac friſſum, quem promittit ſe dono miſſurum ex Hollandia ei, qui ſatiſfecerit exornatæ à ſe lucubrationi, illi det, qui ipſum à nota ignorantia atque audacia adhibito omni conatu defenderit.

## C A P U T XX.

Explicantur Scholaſticorum placita circa naturam, proprietates, cauſam, terminumque Unionis hypochaſticæ.

### S U M M A R I U M.

1. Variæ Doctorem ſententiæ.
2. Sententia Auctoris.
- 3 & 4. Solvuntur obſectiones.
5. Proprietates unionis hypochaſticæ.
6. An hæc unio facta ſit in Natura, an in Perſona.
7. 8. 9 & 10. Unionem hypochaſticam nemo meruit quoad ſubſtantiam, bene verò quoad circumſtantias.

11. Chriſti humanitas non promeruit ſui unionem cum verbo.
- 12 & 13. Obſectionibus ſatiſſit.
14. & 15. An plures perſonæ Divinæ aſſumere potuiſſent eandem naturam, & an una Perſona plures naturas.
16. An etiam naturam irrationalem.
17. Cur poſſius filius, quam alia perſona fuerit incarnata.

I.  
Variæ Do-  
ctorem ſen-  
tentia.

PLURA Scholaſtici diſputant de *hypochaſtica* unionis natura, proprietatibus, cauſa, ac termino: quorum ſi velimus prolixam habere diſſertationem, prætermittenda nobis erunt utiliora, cum graviffimæ nobis adhuc dirimendæ ſint  
*R. P. Berti Theol. Tom. V.*

controverſiæ. Ut ergo Scholarum placita brevi expediamus; duarum naturarum unionem quidam conſtituunt in modo ab extremis diſtincto, ut Scotus in 111. diſt. 1. Suarez diſput. viii. ſect. 3. Vaſq. diſp. xviii. cap. 3. Salmanticenſes diſput.



2.  
Sententia  
Auctoris.

disput. iv. dub. 1. Gabr. à S. Vinc. disput. 2. dub. 7. L' Herminier de Un. hyp. q. 2. alique complures: quidam vero ab extremis negant illam distingui, ut Cajetanus in 3. p. q. 2. art. 7. Gonet disp. vi. art. 3. Maignan Ph. Sacrae p. 1. cap. 21. Juenin dissert. v. q. 3. Tournely quaest. vii. art. 2. atque ex nostratibus Aegidius in 2. dist. 2. Gregorius Arimin. in 1. dist. 28. q. 2. Gerardus dist. 7. q. 3. Gavardi quaest. v. art. 1. & fere omnes ab eodem Gavardi num. 8. laudati. Nos vero horum sententiae absque ulla animi fluctuatione subscribimus. Principio enim non admittitur à nobis *modum esse entitatem* aliquam distinctam à subiecto, licet fateamur esse *habitudinem* quamdam intrinsecam, sive potius rem ipsam tali affectione praeditam, & veluti sigilli impressionem, inhaerentem quamdam *formam* à substantia indistinctam; ut diximus de relationibus, ac de habitibus disputantes. Deinde nullam aliam *hypostaticam* unionis perceptionem ex Scripturis, ac Patribus in velitatione praecedentium haesum productis haurire possumus, quam mirabilis oeconomiae, per quam Dei Verbum in unitatem personae *formam servi*, idest, humanitatem assumpsit: cujus assumptionis modus caput superat humanum, neque potest per *entitatem* aliquam productam innotescere mortalium mentibus. Praeterea, ne vulgarem ratiocinationem omitamus, si duo habeant rationem *potentiae*, & *actus*, quemadmodum habent corpus & anima, materia & forma; nullo egent superaddito nexu, quo, tanquam confixo clavo duae tabulae, colliguntur; sed per se immediate uniuntur. Insuper, ut argumentatur citato loco Gregorius, non solum natura humana est unita Verbo, verum etiam Verbum est unitum naturae humanae; nec tamen ad hanc unionem explicandam recurrendum est ad modum, vel entitatem ipsi Verbo inhaerentem, cum divina persona nequeat recipere *entitatem* aliquam, qua intrinsece afficiatur.

3.  
Objectiones.

Ducuntur qui oppositam sententiam tenent momentis istiusmodi. Primum, cum *hypostatica* unio sit actio, correspondere huic debet aliquis productus effectus, qui utique non est humana natura, cum potius haec sit terminus creationis, ideoque erit *entitas* illa, sive *modus* ab extremis distinctus. II. S. Thomas 3. p. q. 2. art. 7. invicte demonstrat unionem esse *aliquid creatum*, quoniam non fuit ab

aeterno, & quicquid incipit in tempore, creatum est. III. Possunt Verbum & humanitas simul esse, quin sint unita hypostaticè. Unio ergo, inquit Maurus lib. ix. q. 25. est aliquid à Verbo, & ab humanitate distinctum. IV. Quod est indifferens, per aliquid adventitium determinari debet. At natura creata indifferens erat, ut assumeretur à Verbo. Itaque per modum aliquem adventitium determinata est. V. Plura enuntiantur de humanitate unita Verbo, quae non verificantur de ipsa humanitate Verbo non unita; quarum oppositarum enuntiationum ratio nulla est, nisi facta in humana natura mutatio.

Verum facile est haec argumenta discutere: ad primum namque dicimus *In-* 4.  
*carnationem* duas actiones comprehen-  
dere *connotative* distinctas, id est, natu-  
rae humanae productionem, quae est crea-  
tio, & refertur ad totam Trinitatem tan-  
quam ad causam efficientem, & ad hu-  
manam naturam *in se spectatam*, tanquam  
ad effectum productum; & ejusdem  
naturae humanae terminationem, quae est  
Verbi assumptio, & refertur ad solum  
Filium tanquam ad principium suam tri-  
buens subsistentiam, atque ad naturam  
humanam *prout subsistit divina hypostasi*:  
quare cuilibet actioni terminus responderet  
suus, creationi natura humana *absolute*  
spectata, id est, ut à Trinitate producta;  
assumptioni natura humana spectata *con-*  
*notative*, id est, ut per Verbum subsistens.  
Ad auctoritatem divi Thomae respondet  
Cajetanus *esse creatum*, quod intervenit  
in unione hypostatica, *esse passionem qua*  
*natura humana trahitur ad esse Verbi*:  
nos eidem responsioni insistentes dici-  
mus, quod sicut unio *hypostatica* est actio  
facta in tempore *connotativa*, ac *termi-*  
*nativa*, ita habet effectum suum creatum  
quidem, sed connotantem divinum Ver-  
bum, à quo terminatur, id est, naturam  
humanam ut subsistentem: quod non re-  
pugnat divo Thomae scribenti q. 6. art.  
6. ad 1. *Unio naturae humanae ad Ver-*  
*bum est secundum esse personale, quod non*  
*dependet ab aliquo habitu, sed immediate*  
*ab ipsa natura*: qua auctoritate Gonet  
loco cit. n. 46. sententiam confirmat no-  
stram. Corruit eadem responsione ar-  
gumentum Mauri, propterea quod ne-  
queat non esse unio *hypostatica*, ubi est  
humanitas *connotative* accepta, hoc est  
hypostasi Verbi subsistens; quamvis non  
precipiatur unio, si humanitas in se tan-  
tum absque tali connotatione spectetur.  
Non



Non aliam responſionem adhibebo ad quartum; natura enim creata determinatur ut ſit Verbi per huius hypotaſim, quæ illam connotative tantum immutat. Utor eadem doctrina, ut me expediam ab argumentatione poſtrema, quandoquidem ad ſalvandas enuntiationes oppoſitas ſat eſt diſtinctio connotatorum, ut demonſtravi lib. II. cap. 3. atque vi huius diſtinctionis natura humana, ut ſubſiſtens divina hypotaſi, dicitur Filius Dei, qualis non dicitur abſolute in ſe inſpecta. Poſtis itaque principiis noſtris quam facillime hæc prima quaſtio diluitur.

6.  
Explicantur  
proprietates  
unionis Hy-  
poſtaſicæ.

Quantum pertinet ad unionis hypotaſicæ proprietates, conſentiunt Theologi omnes illam eſſe ſubſtantialem, naturalem, omnium maximam, & perpetuam atque indiſſolubilem. Subſtantialem eſſe conſtat ex his, quæ diximus adverſus Neſtorium, à quo nulla alia inter Deum hominemque unio admiſſa fuit, præter moralem, & extrinſecus adſcitam. Subſtantialem itaque illam appellamus, quatenus utraque ſubſtantia divina & humana in eadem hypotaſi conjunctæ perſiſtunt, ut in una perſona hominis anima ſpiritalis & caro. Naturalem vero hanc unionem dicimus contra Eutychem, qui nonniſi unam naturam adſtruit confuſam atque permixtam; quippe ubi unum perit, aut in alterum permutatur, non unio intervenit, ſed mixtio, aut corruptio: ſive naturalem dicimus, prout idem eſt, ac vere, ſine fūco, & abſque ſimulatione, ut explicavimus in tertio Anathematismo Cyrilli. Nam ſi naturale accipitur, prout idem valet, ac neceſſarium, naturæ debitum, aut ex naturæ conditione promanans; conſtat unionem hypotaſicam, quæ maxima gratiarum eſt, divinæque liberalitate peracta, dicendam non eſſe naturalem. Eſſe autem omnium maximam facile quique percipiet, ſi attendat utriusque naturæ diverſitatem, Deique & hominis diſcrepantiam: ſi animadvertat non potuiſſe humanam naturam altius attolli, ut libro proximo exponam; ſi denique inſpiciat non ad tempus divinum Verbum humanam aſſumpſiſſe naturam, ſed illam eventam ad Patris dexteram in perpetuo ac ſempiterno regno locaſſe. Atque hæc eſt tertia hypotaſicæ unionis proprietas, videlicet, indiſſolubilis humanitatis cum divinitate conjunctio: quam negavit Origenes affirmans poſt reſurrectionem totam naturam corporis interituro ſententia à Theophilo in Epistoſa 2. Paſchæ.

R. P. Berti Theol. Tom. V.

li, nec non Marcellus Ancyranus: de quo Eusebius in III. libro de Eccl. Theologia cap. 13. & contra eundem Marcellum lib. II. cap. 1. S. Baſilius Epist. 52. & Cyrillus Hieroſolym. Catech. xv. Revincitur autem aperte hæc hæreſis ex quo collata Chriſto filio Davidis poteſtas ſempiterna, & abſque fine dicatur Dan. VII. 14. & Lucæ 1. 33. aliisque in locis; ea- que de omni corpore interituro ſententia ſit purum putumque deliramentum directe pugnans cum iis, quæ alibi diximus de corporum reſurrectione. Quare de unionis hypotaſicæ proprietatibus hæc per pauca dicta ſint.

Disputatur præterea in Scholis, an hæc unio facta ſit in natura, an in perſona: quæ pariter quaſtio ex reſutatis hæreſibus aperte diluitur. Nam ſi ſenſus ſit, num divina & humana natura in unam coaluerint; liquet id falſum eſſe, & de fide tenendum oppoſitum adverſus hæreſim Eutychanam: ſi vero ſit ſenſus ambas naturas fuiſſe in eadem perſona conjunctas, iſtud contra Neſtorianos eſt aſſerendum. Ideoque illarum hæreſim præmiſſa reſutatio iſtam quoque difficultatem eliminat. Controvertitur tamen inter eos, qui diſtinctionem intrinſecam ſtatuunt inter Verbi divinam naturam, ejusque perſonalitatem, an natura immediate, an ratione perſonalitatis humanam carnem aſſumpſerit: verum nos, qui divinam eſſentiam ac hypotaſim unam ſimpliciſſimam rem, ſola terminorum connotatione diverſam lib. IX. cap. 2. propugnaviſſimus, nulla hac in re dubitatione diſtrahimur, aſſerimusque incunctanter tribuendam naturæ humanæ aſſumptionem divino Verbo, ſive perſonæ, quæ tamen eſt ipſamet Dei natura, non abſolute accepta, ſed tantum connotative; cum ſint una ſumma res, incomprehenſibilis, & ineffabilis Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Nam ſi humanitatis aſſumptio tribuenda foret naturæ divinæ, id eſt, ſummæ illi rei ineffabili abſolute conſideratæ, non ſolum Verbum carnem aſſumpſiſſet humanam, ſed etiam Spiritus ſanctus, ac Pater, & vera eſſet hæreſis Theopachitarum. Poſſumus tamen in verbo aſſumendi, ut diximus paulo ſupra, diſtinguere principium actionis à principio terminationis, & illud tribuere divinæ naturæ ſingulis perſonæ communi, iſtud vero propriæ Filii hypotaſi, ſive perſonalitati; ut obſervat illuſtris Eſtius in III. diſt. xv. §. 1. Nam efficientem cauſam Incarnationis fuiſſe totam Trinitatem, quatenus illa actio eſt, controverti nequit, ut dicam proximi

6.  
An hæc unio  
facta ſit in  
natura, an  
in perſona.

X2

lib.



lib. cap. iv. inquirens cur divini Verbi conceptio tribuatur Spiritui sancto, quamvis illam operata sit tota Trinitas.

7.  
WemoIncar-  
nationem  
promeruit  
quoad sub-  
stantiam.

Cum nulla itaque oriri possit difficultas de causa *Inarnationis* efficienti, discipatur in Scholis de causa meritoria: & quaeritur an *Inarnationem* mereri potuerint Sancti Patres, qui illam assiduis precibus ante Christi adventum petierunt; an beatissima Virgo, quæ inter omnes mulieres benedicta fieri meruit Dei genitrix; an saltem sacrosancta Christi humanitas ad gratiam *hypostaticæ* unionis evecta. Consentiunt autem Theologi omnes, nullum meritum *de condigno* potuisse in operibus aut veterum Patrum, aut Virginis intemeratæ inveniri, cui responderet tam eximium amplissimumque beneficium, quale est humanam naturam divino Verbo conjunctam esse substantiali unione. Et satis manifestam rationem proferunt, quoniam inter merita cujuslibet creaturæ, & maximum *Inarnationis* beneficium nulla excogitari potest proportio: unde illud divinæ misericordiæ, & charitati in sacris literis passim adscribitur. At si loquamur de merito *de congruo*, quod hujusmodi proportionem non exigit, tam beatam Virginem, quam Patriarchas promeruisse *Inarnationem* divini Verbi, quoad *substantiam*, & quoad *circumstantias*, scilicet promeruisse, ut Verbum naturam indueret nostram, & eam assumeret ex Abrahami Davidisque posteritate, atque citius, quam fortassis id perfecisset, sentiunt Theologi bene multi, Alvarez disput. xvii. num. 12. Joannes à S. Thoma disput. v. art. 1. Gonet disput. vii. art. 6. Suarez disput. x. a. 6. Salmant. disput. vii. dub. 3. L' Hermier Tom. 3. p. 130. alique. Econtra Sanctos Patres promeruisse *Inarnationis* divinæ *circumstantias*, idest, accelerationem, electionemque stirpis Davidicæ, & beatissimam Virginem promeruisse tantum gratiæ augmentum, ut fieret dignum divini Verbi, ac Spiritus sancti habitaculum, non vero, ut *Incarratio* fieret, & ipsa eligeretur in Dei matrem, tenent Theologi alii in Schola celebres, D. Bonavent. dist. 111. a. 2. Scotus in iv. dist. 11. q. 1. Noster Aegidius quodlib. v. q. 4. Gavardi q. 111. de Incarnat. art. 3. Vasq. disput. xxiii. cap. 5. & alii complures; quibus subscribentes asserimus neminem quoad *substantiam* ullo pacto divinam *Inarnationem* promeruisse, sed tantum quoad *circumstantias*.

8.  
Probatur ex  
scriptura, &

Hujus assertionis fundamentum est, quoniam Scripturæ, Patres, ac ratio ipsa

ita divinæ misericordiæ & dilectioni tribuunt Unigeniti Filii Dei adventum in carne, ut satis appareat nullo hominum merito fuisse illectum atque permotum; sed in hoc maxime divinam splendescere charitatem, quod per mortem Christi Deo reconciliati sumus, cum essemus filii iræ, filii vindictæ. Videatur Apostolus ad Titum II. 11. & III. 4. ac Joannes Epist. 1. cap. III. 10. Quibus in locis persuasum mihi est, omne excludi meritum tam *de congruo*, quam *de condigno*: quippe nulla excogitari possunt merita, ubi nulla præcedunt justitiæ opera, & ubi nulla dilectio nostra supponitur, quæ tantam Dei charitatem attraxerit. Est autem gratiæ maximum argumentum, si Dei munera nullis præcedentibus meritis conferantur. Accedit quod omnes in Adam peccaverunt, & omnes egent gloria Dei, ut inquit Paulus ad Rom. 111. 23. idest, indigent omnes Christi Redemptione, quæ à peccato liberet, aut præservet; & nullus prorsus post Adæ lapsum quidquam Deo acceptum patrare potest absque gratia Liberatoris: ita enim Apostolicam sententiam exponit Magnus Augustinus Enarrat. 2. in Psal. xxx. num. 6. Quare omne meritum, etiam *congruum* duntaxat, gratiam supponit: gratia autem prædefinitam *Inarnationem*. Insuper nullum excogitari potest meritum absque fide, quam nonnisi per Christum donari tradit Paulus ad Philipp. 1. 29. affirmatque Augustinus de Grat. Christi cap. xxxi. num. 4. aliisque in locis sexcentis. Jure itaque meritoque cum eodem Augustino concludimus: *Neque enim merita nostra præcesserunt pro quibus Filius Dei movebatur: sed magis quia nulla erant merita, magna erat misericordia.* Videbis in Psalmum lxxxv. num. 2.

9.  
Supposita autem gratia ex prævisis Christi meritis collata, potuisse promereri antiqui fœderis Patres *circumstantias* *Inarnationis*, verissimum est, quoniam gratia ac libertate præmissa habetur quidquid requiritur ad merendum. Atque hinc legimus de Abrahamo Genes. xxi. 16. benedicendas in semine ejus omnes gentes, quia unigenito suo non pepercit. Similia habentur Ps. civ. 9. & cxxx. 11. Lucæ 1. 55. Act. 11. 30. Gemitus quoque, & vota Patrum promeruisse *Inarnationis* accelerationem colligi potest ex Psalm. xi. 6. & ex Daniele cap. ix. 24. Adstipulatur & ratio, quam indigitat D. Thomas 3. p. q. 2. art. 11. quia scilicet *congruum erat, ut Deus exaudi-*



exaudiret eos, qui ei obediebant. Hac ratione beata Virgo ſuffulta ſupernæ gratiæ auxiliis potuit, ut ibidem ad 3. ait S. Thomas, ad illam ſanctitatis excellentiam perſingere, per quam congrue fieret Dei genitrix: quo ſenſu inquit Eccleſia, Beata viſcera Mariæ Virginis, quæ meruerunt portare Dominum Chriſtum, & Venantius Fortunatus:

*Virginitas felix, quæ partu eſt digna Tonantis.*

*Quæ meruit Dominum progenerare ſuum.*

10.  
Roboratur  
præſertim  
de B. Virgine.

Atque, ut liquet ex dictis libro XIX. cap. 8. gratia habituali ſuppoſita, non ſolum de congruo, verum etiam de condigno potuit beatiffima Virgo augmentum illud ſanctitatis promereri. Quamquam hæc gratia ipſi ad promerendum collata ſupponit prædeſtinationem Dominiæ Incarnationis, ejusque Virginis prædeſtinationem in Dei Matrem, quia Deus ex intentione ſinis media impertitur; ideoque gratiæ quidem incrementum promeruit, at non ut Verbum fieret homo, & ſeipſam in matrem præeligeret. At inquirunt ſententiæ oppoſitæ aſſertores: Cum omnes prædeſtinati mereantur gloriæ conſecutionem, quamvis ipſa prædeſtinatio omne antecedit meritum; quare mereri non potuerunt veteres Juſti incarnationem in executione, tamenſi hujus prædeſinitio ſit munificentiffimæ charitatis Dei beneficium? Huic argumentationi, quam Scholaſtici recensiti priori loco verbis collocupletant, reſpondemus Chriſtum nobis gratiam promeruiſſe, non quatenus prædeſinitus à Patre, quia in hac prædeſinitione nullum habent locum ipſius merita, ut Auguſtinus docet de Præd. SS. cap. xv. n. 31. ſed quatenus Patri obediens ſubeundo crucem mundum redemit, in quo ejus obedientia meritumque deprehenditur, ut Apoſtolus ait ad Philipp. 11. 8. & ad Hebræos 11. 9. & conſequenter quodlibet meritum præſupponere non ſolum Chriſti prædeſtinationem, verum etiam præſcientiam peractæ Incarnationis: unde ſicut mortalium nemo potuit mereri prædeſtinationem Chriſti, ita nemo mereri potuit ejus Incarnationem quoad ſubſtantiam, cum utraque omne meritum in Dei præſcientia antecedit. Aut reſpondemus gloriæ eſſe cauſam finale, quæ non præexiſtit effectui ſuo, & unionem hypſtaticam eſſe meritorum omnium cauſam effectricem ac meritoriam, quæ non operatur niſi præſupponatur ipſius exiſtentia, ut diſput. VII. dub. 2. demonſtrant ipſi Salmanticenſes.

Ex his inferitur, neque Chriſti humanitatem ſui cum divino Verbo unionem promeruiſſe: quod ſequenti argumentatione confirmatur. Vel enim humana natura hanc unionem promeruit per opera præcedentia, priusquam Chriſtus conciperetur, vel in illo priori naturæ, in quo percipitur producta, antequam aſſumeretur à Deo, vel per opera hypſtaticam unionem conſequentia. Nequit primum affirmari, cum animæ Chriſti ante Incarnationem præexiſtentia ſit Originianum figmentum reſutatum lib. XI. cap. 4. unde recte Auguſtinus citat. cap. xv. de Præd. SS. num 30. ait: *Reſpondeatur quaſo: ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem perſonæ aſſumptus, Filius Dei unigenitus eſſet, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecunque præceſſit. Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?* Nec affirmare poſſumus humanitatem Chriſti promeruiſſe in illo priori naturæ, quo percipitur producta priusquam aſſumeretur à Verbo Deo, quoniam in illo à nobis excogitato momento, nondum natura humana ſubſiſtebat, & incapax erat operandi, alioqui ſi ſubſiſtentia prædita eſſet, Verbum Deus aſſumpſiſſet etiam perſonam hominis, ut opinabatur Neſtorius: ideoque Auguſtinus cap. xxxvi. Ench. num. 11. *Nunquid antea, inquit, fuit homo, & hoc ei ſingulare beneficium præſtitum eſt, cum ſingulariter promeretur Deum? Nempe ex quo eſſe homo capit, non aliud capit eſſe homo, quam Dei filius.* Denique mereri Chriſtus non potuit per opera ſubſequentia, tum quia nemo aliquid meretur, niſi ſupponatur exiſtens, ut dictum eſt nuper, ideoque omnia merita Chriſti ſupponunt peractam Incarnationem: tum quia ait S. Thomas citato art. 11. *Gratia non poteſt cadere ſub meritum, quia eſt merendi principium: unde multo minus Incarnatio cadit ſub merito, quæ eſt principium gratiæ.* Quod & rationi conſentaneum eſt, quoniam omnis cauſa præcedit effectum; & gratia, quæ eſt principium meriti, nequit eſſe præviſi operis merces ac præmium, ut autumabant hæretici Pelagiani.

12.  
Obſicitur.  
Solent opponi verba Pſal. XLIV. 8. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis;* & Apoc. v. 12. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem:* quæ videntur Origenis confirmare ſententiam. Sunt & quidam, ut Suarez diſp. x. ſect. 4. Coninck de Actib. X 3  
ſupern.



supern. disput VIII. art. 7. & Ripalda disp. 86. qui contendunt non repugnare, quin Christus unionem *hypostaticam* potuerit promereri: & quorum præcipuum argumentum paulo supra productum est, videlicet, potuisse Deum decernere *Incarnationem* executioni mandandam dependenter à meritis Christi, licet gratis prædefinitam; quemadmodum per merita prædestinati consequuntur gloriam, ad quam electi sunt sine meritorum præscientia. Addunt etiam actus charitatis disponere ad gratiam *habitualement*, & nihilominus ab ipsa gratia produci: atque ratione consimili posse unionem *hypostaticam*, quamvis sit principium meriti, merito tamen rependi. Quidam denique illud asserunt, si principium intellectionis, id est, mens rationalis cadit sub intellectione: quare principium meriti, hoc est, *unio hypostatica* non potest cadere sub merito?

13.  
Respondetur.

His brevi occurrentes respondemus ad primum, in Psal. xiv. *oleum letitiæ* significare Christi exaltationem, hoc est, gloriam resurrectionis, ascensionis, dominationisque, ut Breviario in Psalm. inquit Hieronymus: aut si *unctionis* nomine intelligamus unionem hypostaticam; propterea, idem esse, atque, *in hunc finem*, & sensum reddere, unctum Christum *oleo exultationis*, & naturam humanam assumptam à Verbo, ut Redemptor noster *condigne* fungeretur Mediatoris officio, & excellentissime diligeret & exequeretur iustitiam. In quinto pariter Apocalypseo *divinitas* idem est, ac divinus honor, & nominis Christi exaltatio, quam idem Christus sua morte promeruit, ut ad Philipp. II. 9. scribit Doctor gentium, sive divinæ gratiæ profusio, ad quam significandam habent Græci Codices, non *divinitatem*, sed *πλῆτον*, *divitias*. Quod sequitur, facillime expeditur: commentitium est enim decretum, quo prædestinatur *Incarnatio* per merita subsequenter, quia non potest præcognosci meritum ante existentiam personæ merentis: potest autem decerni gloria independentem à meritis, quibus comparatur, quia finis prælegitur ante prædefinitionem mediorum. Adde quod in prædestinatione ad gloriam per merita comparandam, ipsa merita non præcedunt, sed subsequuntur gratiam, propriamque causam effectricem: at si Christus prædestinatus esset ad unionem *hypostaticam* per propria merita, hæc prænoscerentur ante suum principium efficiens, & effectus præcederet causam, atque prima meritorum origo esset merces.

Possent argumentatio proxima eludi reponendo dispositiones pendere à forma, tanquam proprietates causæ *formalis*, & ad ipsam *formam* disponere tanquam adminicula causæ efficientis, nec repugnare mutuam causalitatem in diverso causarum genere; repugnare autem in genere eodem, quale profecto esset, si merita præcederent ut causæ moralis efficiens unionem *hypostaticam*, quæ est causæ moralis efficiens meritorum: sed his omis, dico contritionem quæ præcedit gratiam *habitualement* esse effectum gratiæ actualis: & si supponat gratiam *habitualement*, non ad ipsam disponere sed ad ejus augmentum. At in solutione postremi argumenti non immorabor; etenim mens, sive principium intelligendi cadit sub intellectionem *tanquam obiectum*, quod præsupponitur ante ipsam intellectionem; *hypostatica* autem unio caderet sub meritum, *tanquam effectus*, qui nequit præsupponi ante causam; ne repetam præmissam contradictionem, quod si gratia principium meriti caderet sub meritum, merces ac præmium esset, non gratia. Hactenus de causæ unionis hypostaticæ meritoria.

14.  
Circa assumptam à Deo Verbo naturam plures in scholis instituuntur questiones, ac præsertim, num eandem carnem quam Filius assumpsit, potuissent etiam assumere Spiritus sanctus ac Pater, num una duntaxat persona assumere potuisset naturas duas, num potuisset Deus terminare naturam aliam destitutam ratione, cur Filius, non persona alia, nostram induerit *formam*, cur non Angelicam substantiam; & questiones alias ejusmodi, in quibus terere nos tempus, ingeniumque torquere dicunt Insectatores Scholasticæ, ut vidimus in Prolegomenis. Brevi nos, non pertimescentes linguarum flabella, sed aliarum rerum inquisitioni multivolum animum addicentes asserimus potuisse omnes sacrosanctæ Trinitatis personas assumere naturam unam, cum singulæ eandem potentiam, virtutemque divinam habeant, necnon propriam hypostasim ac substantiam. Nec inde sequeretur, assumptum hominem esse unum, & non unum; quoniam *τὸ unum* significat unitatem duntaxat naturæ, quæ triplici terminata esset hypostasi; quemadmodum *unus Deus* commonstrat unam divinam naturam in tribus personis subsistentem: & quemadmodum unitas personæ assumptæ non infert modò unitatem naturæ assumptæ; ita in hypothesi pluralitas personarum non infer-



inferret modò unitatem naturæ aſſumptæ; ita in hypotheſi pluralitas perſonarum non inferret aſſumptæ naturæ pluralitatem. Ita S. Thomas 3. p. q. 3. art. 5. Thomas de Argentina in 111. diſt. 1. q. 2. art. 3. Vaſquez diſput. xxix. cap. 2. alique communiter, excepto tamen Scoto, ejusque aſſectis: pro quorum ſententia legi poteſt Maſtrius diſp. 1. q. 8. art. 1. & Fraſſen diſp. 1. art. 2. ſect. 2. q. 3.

15.  
An una Perſona plures,

At poſſe eandem divinam perſonam aſſumere naturas duas ſanctus Thomas eadem q. art. 7. Scotus in 3. diſt. 1. q. 3. & utriusque diſcipuli, alique omnes aſſerunt, eoquod divina perſona virtutem infinitam habeat, quæ per *terminationem* unius naturæ finitæ nequit exhaustiri. Diſcrepant tantum Theologi, an duæ illæ naturæ eſſent unus homo, vel duo: ac futurum unum tenent Thomiſtæ, quibus accedunt Suarez diſp. xi. ſect. 3. alique permulti; futuros duos homines cenſet ibidem Scotus, & Fraſſenius Concl. 2. necnon Vaſquez 1. p. diſput. clv. cap. 5. Sed hanc controverſiam inniti arbitror ſola æquivocatione vocabulorum: enimvero ſi ſubſtantivum nomen *homo* accipiat pro *forma*, ſive natura, haud dubium, quin in hypotheſi duo homines forent dicendi: & quoniam revera nomina ſubſtantiva primariò *formam* ac naturam ſignificant, hac in parte ſubſcribendum arbitror Scoto, cui etiam ex noſtris aſſentitur laudatus Thomas de Argentina diſt. 1. art. 4. At ſi vocabulum *homo* accipiat *concrete*, prout connotat *formam* ſimul ac ſuppoſitum, nullum eſt dubium fore in hypotheſi unum hominem, quemadmodum unus dicitur artifex idem homo pollens duabus artibus. Atque hoc exemplo confirmant D. Thomæ ſententiam Suarez loco citato, & Gabr. à S. Vincentio diſput. 111. dub. v. Quamquam nescio, num allatum exemplum ſit ad rem, cum *artifex* juxta regulam à nobis traditam lib. ix. cap. ult. nomen ſit adjectivum, connotans perſonam artificium aliquod exercentem. Hinc S. Thomas aliam ſententiam ſequitur in Summa cit. artic. vii. aliam in 111. ſent. diſt. 1. q. 2. art. 5. non ſibi contradicens, ut falſo opinatur Thomas de Argentina, ſed varia nominum ſignificatione accurate ſpectata. Ad omnem ergo amphiboliam evitandam ſatius eſt dicere futuram in hypotheſi unam perſonam ſubſiſtentem in duplici natura humana; quemadmodum in præſentia dicitur Chriſtus una perſona ha-

bens naturas duas, humanam, atque divinam.

De natura irrationali, ſi veterum per-  
paucos, Picum Mirandulanum, ac  
Tournelium excipias, illam potuiſſe aſ-  
ſumi à Verbo, conſentiant Scholaſtici  
ea ratione ducti, quoniam quidquid ge-  
rere poteſt vicem perſonæ, id eſt, tri-  
buere alienæ naturæ ſubſiſtentiam, po-  
teſt quoque ſupplere munus *ſuppoſiti*,  
propriamque alteri communicare exi-  
ſtentiam. Fraſſen id confirmat ſect. 3.  
q. 1. concl. 2. testimoniis Patrum, ea-  
que produxerat antea Vaſqueſius diſp.  
xxx. cap. 2. Addunt alii Chriſtum in  
triduo mortis tradidiſſe ſpiritum, ſed  
non fuiſſe corpus exanime à divina per-  
ſona ſejunctum: de qua re alibi. Si di-  
cas naturam irrationalem non eſſe ca-  
pacem *perſonalitatis*; optime respon-  
ſum à Theologis, capacem eſſe exiſten-  
tiæ, ſive terminationis *ſuppoſitalis*, non  
*perſonalis*. Indulgendum eſt autem  
tempori, atque conſuetudini, ſi hæc  
adhibuerunt vocabula. At indecorum  
eſt, inquit Tournely pag. 297. fieri com-  
municationem idiomatum inter Deum,  
& creaturam ratione deſtitutam. Huic  
etiam oppoſitioni reſponſum à Vaſque-  
ſio num. 14. nullam rem quantumvis for-  
didam poſſe divinitati vel minimam af-  
ferre maculam; quod comprobatur ver-  
bis Tertulliani de Carne Chriſti cap. 4.  
ubi contra Marcionem irridentem tan-  
quam indignam Deo nativitatem in car-  
ne, *Si revera, inquit, de lupa, aut  
ſue, aut vacca prodire voluiſſet, & fe-  
ra, aut pecoris corpore indutus regnum  
calorum prædicaret, tua, opinor, illi  
cenſura præſcriberet, Turpe hoc Deo,  
& indignum hoc Dei filio, & ſtultum  
propterea qui ita credat. Sit plane ſtul-  
tum: de noſtro ſenſu judicemus Deum.  
Sed circumſpice Marcion, ſi tamen non  
deleſti: ſtulta mundi elegit Deus, ut  
confundat ſapientia.*

16.  
An etiam  
naturam ir-  
rationalem

Cur Filius, non alia perſona, natu-  
ram induerit noſtram congruentias illas  
aſſignant Theologi, Eſtius præſertim in  
111. diſt. 1. & Petavius lib. II. cap. 15.  
Prima eſt, ne fieret nominum confuſio,  
& filii appellatio tranſiret ad aliam per-  
ſonam, aut duo eſſent in Trinitate Filii,  
ſcilicet, filius Dei, & filius hominis.  
Altera, ut per eum, per quem omnia  
creata ſunt, omnia iterum inſtauraren-  
tur. Tertia, ut per Verbum & Imagi-  
nem Patris reſiceretur in nobis effigies  
ipſius Dei per Adæ culpam corrupta.  
Quarta,

17.  
Cur porius  
filius quam  
alia perſona  
fuerit in-  
carnata.



Quarta, ut per Filium naturalem redde-  
remur filii adoptivi, & meritis Primo-  
geniti consequeremur hæreditatem. Po-  
strema ut secunda Trinitatis persona fie-  
ret Dei & hominum Mediatrix. Deni-  
que cur Christus non redemerit dæmo-  
nes, hanc rationem reddit Petavius lib.  
III. cap. 10. n. 6. quia corrui Angelus  
nihil infirmum ex carne gestans. Non  
videtur ab hac sententia alienus Augu-  
stinus Tract. cx. in Joan. num. 7. Ad-  
duntur congruentiæ aliæ, quia non cor-  
ruerat tota natura Angelica; & quia as-

sumendo hominem præditum anima &  
corpore, Filius Dei utramque naturam  
redemit spirituales atque corporeas.  
At quoniam indubitatum est propter  
nimiam Dei charitatem Christum mor-  
tem subiisse pro impiis, recte ait ibidem  
Augustinus: *Hic ergo non meritum no-  
strum, sed Dei misericordia commenda-  
tur.* Atque hæc dicta sint de iis quæ-  
stionibus, in quibus discutiendis per-  
multi veterum præcipuam impendunt  
operam.



DE